6-3-A-20

METHODVS EMENDATÆ ORATIONIS.

SIVE

GRAMMATICÆ INSTITVTIONES.

Auctore

A.R.P. CAMILLO

A S. Hieronymo Vrbinate

Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Collegij Nazareni in Vrbe Rectore.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EM

ROMÆ, M.DC.LXV.

Typis Ægidij Ghezzij.

SVPERIORVM PERMISSV.

6-3-A-20

METHODVS EMENDATÆ ORATIONIS.

SIVE

GRAMMATICÆ INSTITVTIONES.

Auctore

A.R.P. CAMILLO

A S. Hieronymo Vrbinate

Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Collegij Nazareni in Vrbe Rectore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, M.DC.LXV.

Typis Ægidij Ghezzij.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO,

AC REVERENDISS. D.

D. PROSPERO FAGNANO.

Vtriuſque Signat. Referendario, Sac. Congreg. ſuper ſtatu, ſeù Reform. Regul. & S. Viſit. Apoſt. à ſecretis. &c.

Ioſeph à S. Euſtachio Piſauren. Cleric. Paup. Matris Dei Scholarum Piarum Procur. Gener.

CVM ea Libris indita lex ſit, vt nonniſi ſub præclari cuiuſpiam Viri tutamine in lucem edantur, quò proſpe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ra huic opuſculo ſingula accidant, nō alium, quàm PROSPERVM Mæcenatem imploro. Abſterrebat me ſanè ab hoc munuſculo tibi offerendo ipſius paruitas, tuorumque meritorum magnitudo, cum quibus ſi Libellum compararem, more proculdubio Virgiliani Paſtoris viderer

Paruis componere magna.

Quis enim ignoret, ad altiora tibi vocato negotia, quibus aſſiduè MAXIMVS ALEXANDER tuam exercet Prudētiam, vix

vix tempus ſuppetere ad humilia hæc Grammaticarum Inſtitutionum limina deſcendendi? Et quidem priſci Ducis conſectareris veſtigia, qui, inſtructo ad pugnam exercitu, conchas in litore legebat; ſi, relictis ſerijs, grauibuſq; ad iſthæc leuia manus admoueres. Quoniam verò quanta animi benignitate, Pietatiſque ardore Scholas Pias amplecti dignatus ſis, per exploratũ mihi ſemper extitit, locus dubitationi non ſupereſt, quin Libellum hunc, licèt tenuem, exi-

guumque, vtpotè tamen Scholis Pijs apprimè neceſſarium, ex animo amplectaris. Adde quòd cum noſtrum alios edocēdi Inſtitutum ſemper comprobaueris, quis neget, adminicula etiam ad idipſum faciliùs efficiendum te cōprobaturum? Noui ego, quàm breui Collegij Nazareni Alumni, quibus iamdiú me præfecerunt, ſub hac breui Methodo, diſciplinaq; Adm. Reuer. Patris Camilli à S. Hieronymo Vrbinatis noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis, Grammati-

cæ

cæ regulas expleuerint; ideòq; cæteris noſtrarum Scholarum ſtudioſis idem compendium facturũ ſperans, publicæ Typorum luci tuis ſub Auſpicijs tradere volui. Maiora, fateor, Religioſus noſter tibi debet Cætus, quia tamen ex paruis interdum noſcuntur maxima, hæc quantumcunque puſilla ſint, tibi offeruntur donaria. Excipe hilari animo, Auctoriſque ingenioſum laborem, meamquè, vt cæteris proſim, in ipſo proferendo ſolertiam, æqui bonique facias. Vale. Romæ è

Col-

Collegio Nazareno . Pridie Kalendas Maij.

M.DC.LXV.

L E-

LECTVRO

Io: Franciſcus ab Ieſu Maria Coriolanenſis Hydruntinus.

E*Sto mecum, Lector, qui tecum has Grammaticæ cupis Inſtitutiones; ſecus in hac ſolutæ Orationis Methodo, neque Hiſtoricam, neque Methodicam habebis Grammaticam. Contra Vatis præſcriptum egiſſe putabis Auctorem, dùm inter tot Grammaticorum Volumina, quæ ſcripturiens hoc ſæculum edidit, perinde ac ſi* in ſyluam ligna ferret, *ſuam quoque proferre voluit Grammaticam. At toto quidem cælo erras; ligno enim, quod noſter Auctor attulit, per totam Grammaticorum ſyluam ſimile non inuenies. Alias frondes, varia germina, diuerſos habet fructus. Cæteri Grammatici prolixa in Methodo quot Verba, tot Regulas proferunt, iſte verò breui canone plurimorum Verborũ edocet Syntaxim. In cæteris primum, ſecundum,*

ter-

tertium &c. Actiuorum iuuenis Ordinem, in iſto abſque tot Ordinibus vnum, ſed ordinatum comperis Ordinem. Annon Lignum nouum in ſyluam ferre *hoc eſt? Ita ſanè: ergo nouo quoque modo vtere; amat enim hæc Grammatica diuerſimodè ab alijs tractari, & à communi diſcedens conſuetudine facilior diſcipulis, quàm Præceptoribus videbitur; ſi enim ipſius Methodum rectè explicare Magiſter nouerit, facillimè, breuiq; temporis intercapedine tyrones emendatæ orationis ſtadium percurrent; verùm* hoc opus, hic labor eſt. *Trutinanda Auctoris ſunt verba, conſiderandus loquendi modus, perpendendus finis. Hæc tria ſi habueris, omnia proculdubio habebis. Emendata in primùm docet orationem, non elegantem, alteramque alteri immiſcere vtramque eſt amittere. Si Figuratam deſideras, paginas volue vlteriùs. Dicet quiſpiam nimis eſſe ieiunam hanc Methodum; Verbis carere Regulas, Coniugationum, Declinationumque nulla eſſe Paradigmata: Ridet Auctor, ac ego, non ſine voluptate ridentem vidi; quid enim vnicuiq; Gram-*

ma-

maticæ prolixam Declinationum, Coniugationumque ſeriem inſerere? Poſuit, fateor, Aluarus, Bonciarius, Guarinus, &c. Nominum, Verborumque Inflexiones, at quid de proprio? nonne omnes antiqui, recentioreſque eundem ordinem, ne apice quidem immutato, tradiderunt? itaque repeteret, non excogitaret Auctor, ſi idem, quod alij dicunt, eodem prorſus modo edoceret. Quoad Regularum Verba futilis eſt accuſatio; cũ enim nullum ſit Actiuum Verbum, quod huius potiùs ſit Regulæ, quàm alterius, ineptum foret huic Regulæ hæc Verba tradere, & non alteri. Verbum Actiuum præter Nominat. & Accuſ. ex Actiui natura peculiarem non regit caſum; ſi qui verò adſint, communes ſunt appellandi, non primæ, ſecundæ, aut tertiæ Actiuorum. Hæc dicta ſint ſatis ad tollendas è medio oppoſitiones. Cæterum ad huius libelli laudes proferendas multa ſuppetunt; quia tamen modeſtiæ Auctor ſtudet, ſilẽtio ſupprimũtur. Ipſemet qui lector laudator eris, ſciaſq; in vno libello, multa, quæ multis in libris edocentur, te inuenturum: habebis

hebis

Digitized by Google

bebis Syntaxim, prope erit Proſodia; ſequetur Verſuum Structura, comperies conſcribendarum Epiſtolarum Methodum, ſed quod gratius erit, inuenies Breuitatem. Vale.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patr. Mag. Sacr. Pal. Apoſt.

O. Archiepiſc. Patrac. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Mag.

INDEX
CAPITVM.

DE Nomine pag. 3
De Verbo. 6
De Participio. 8
De Aduerbio. 9
De Coniunctione. 10
De Præpoſitione. 11
De Interiectione ibid.
Pars Secunda.
Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Verba Actiua. 13
Verba Accuſationis, & Damnationis. 14
Verba Pretij, & Æſtimationis. 16
Verba Commodi, & Incommodi. 18
Verba cum gemino Accuſatiuo. 20
Verba cum Ablatiuo 22
Verba cum Ablat. & Præpoſitionibus A, Ab, E, Ex, De. 25
Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Verba Paſſiua. 27
Verba Neutra. 29

Ver-

Verba Deponentia. 31
Verba Defectiua, ſiuè Imperſonalia. 33
Verba Infinita. 37
Participia, & Participalia. 40
Methodus collocandi Locum cum Verbis. 47
Tempus cum Verbis. 49
Subſtantiuum cum Subſtantiuo. 51
Adiectiua cum Genitiuo. 53
Adiectiua cum Datiuo. 56
Adiectiua cum Accuſatiuo 57
Adiectiua cum Ablatiuo. 58
Adiectiua cum Ablatiuo,& præpoſit. A, vel Ab. 60
Conſtructio Pronominis. 61
Conſtructio Prepoſitionis. 65
Conſtructio Aduerbij. 67
Conſtructio Interiectionis. 68
Conſtructio Coniũctionis. 69
Methodus Figuratæ Conſtructionis. 71
De Vitijs Conſtructionis. 72
De Vitijs Orationis. 73
Methodus interpungendi. 74
De Kalendis, Nonis, & Idibus. pag. 75
Methodus cognoſcendi syllabarum

rumquantitatem. 77
De Figuris dimenſionis. 82
De Pedibus. 84
De Verſuum Generibus. 85
De Concinna, & Harmonicæ Verſuum ſtructura. 97
Elegantia Verborum. 98
Suauitas Compoſitionis. 99
Appoſitio Epithetorum. 101
Colligatio Pedum. 102
Varietas Numerorum. 103
Diuerſitas Membrorum. 104
Methodus conſcribendarum Epiſtolarum. 108
Quot ſint Genera Epiſtolarum. ibid.
Qui ſit Stylus Epiſtolar. 109
Quæ Vitia, quæ Virtutes Epiſtolarum. ibid.
Quæ ſint partes Epiſtolar. 111
De Formis Epiſtolarum. 112
De Epiſtola Narratoria. 113
De Petitoria Epiſtola. 114
De Commendatoria Epiſt. 115
De Euchariſtica Epiſtola. 117
De Conſolatoria Epiſtola. 118
De Gratulatoria Epiſtola. 120
De Collaudatiua Epiſtola. 121
De Officioſa Epiſtola. 123

De.

De Epiſtola Dedicatoria. 124
De Suaſoria, & Hortatoria
Epiſtola. 126
De Lamentatoria Epiſt. 127
De Monitoria, ſeù Reprehenſiua Epiſtola. 129
De Excuſatoria Epiſtola. 131
De Iocoſa Epiſtola. 132
De Commiſſiua, ſeù Mandatiua Epiſtola. 134
De Epiſtolis Mixta, & Reſponſoria. 136

FINIS.

ME-

METHODVS EMENDATÆ ORATIONIS·

Siuè

GRAMMATICAE INSTITVTIONES.

Procemium.

ORATIO à natura homini conceſſa eſt tanquam ſingulare ornamentum, quo ille à belluis differre, & internoſci poſſet: ſed verò niſi eam homo ipſe perpolitam, & emendatam cõſeruet, parum à belluis, nedum à barbaris diſcrepare videatur. Propterea vna ars ingenua inuenta eſt, & liberalis Grammatica, quæ ita hominem ad emendatè loquendum inſtruat, vt verè humanum illum efficiat, dùm ipſius ſermonem emaculat, atque ab omni vindicat errore, ac barbarie. Nos igitur non abs re eſſe putauimus, ſi quas plurimas illa præceptiones, canones, ac regulas in multis, ac varijs auctoribus;

aut diffuſè, aut confuſè inculcat, in aliquam breuem methodum, ac per facilem reuocaremus: quibus adoleſcentes vti ad manum poſſent ad rectam latinè loquendi rationem.

PARS I.

GRammatica igitur à verbo Græco, quod latinè ſonat *Litteræ*: vnde Grammatici litterati nominantur: altera hiſtorica, quam lectio Auctorum docet; altera methodica, cuius partes in docendo ſunt quatuor.

(Littera, Syllaba) (Dictio Oratio)

De litteris eſt Ortographia: ideſt recta ſcribendi ratio.

De Syllabis Proſodia: ideſt accentus, ſeù ratio metrorum.

De Dictione Etymologia: ideſt vera vocabulorum interpretatio.

De Oratione Syntaxis: hoc eſt conſtructio.

Partes Orationis, ſeù Grammaticæ in exercendo ſunt octo, *Nomen, pronomen, verbum, participium, aduerbium, coniunctio, præpoſitio, interiectio*.

De quibus nunc breuiſſimè agendum eſt, nam de Ortographia, Proſodia, Etymologia ſuis locis.

De

DE NOMINE.

CAP. I.

NOmen prima pars Orationis habet ſua accidentia, veluti ſatellites, quibus vndique conſtipatur: ſcilicet *genus, numerum, figuram, caſus, qualitatem, comparationem*.

Genus nomini accidit ad ſexus diſtinctionem. Hæc autem genera tribus modis dignoſcuntur.

1 Significatione. Nomina enim marium attingentia maſculina ſunt; mulierum fæminina.

2 Terminatione: ita in, *a*, feminina, in, *us*, maſculina.

3 Auctoritate latinè loquentium: qui modus vt difficillimus, ita certiſſimus. Græci articulis genera diſtinguũt, latini adiectiuis; vt *homo bonus*, nunquã dixeris *homo bona*, quamuis inflectatur hic, & hæc homo.

Numerus dictionis forma eſt, quæ quantitatis diſcretionem facere poteſt. v.g. *Viri fortes, & prudentes*. Græci tres numeros habent, *ſingularem*, & *pluralem* communes cum latinis, *dualem* ſibi peculiarem.

Figura dignoſcitur (vt ait Priſcianus) in quantitate dictionis: aut enim dictio eſt ſimplex, vt *magnus*: aut compoſita vt *magnanimus*; aut de compoſita,

 ſeù

ſeu à compoſitis deriuatiua, vt *magnanimitas*.

Caſus eſt inflexio nominis, ſeu declinatio. Caſus duo ſunt: recti, *Nominatiuus*, & *Vocatiuus*, quippe qui verborum actiones peragunt: reliqui dicuntur *obliqui*, à nominatiuo naſcuntur. In declinationibus non ſolum obſeruandæ ſunt terminationes genitiui ſingularis, vt ſpecies nominum dignoſcamus. Nam quæ deſinunt in, *a*, primæ ſunt inflexionis, in, *i*, ſecundæ, in, *is*, tertiæ, in, *us*, quartæ, in, *ei*, quintę. Sed etiam Nominatiui litterę terminales, quibus pariter facile dignoſcitur, cuius inflexionis nomen ſit. Nam omnia nomina in, A, præter neutra tertię, ſunt primæ inflexionis, vt *muſa*, *æ*. In, B, nullum eſt. In, D, nullum latinum. In, E, tertiæ, vt *Cubile,lis*. In, C, tertiæ, vt *lac, lactis*. In, F, G, H, I, K, nulla ſunt ſaltem declinabilia. In, L, tertiæ, vt *ſol, lis*. In, M, ſecundæ, vt *templum, i*. In, N, tertiæ, vt *nomen, nis*. In, R, ſecundæ, & tertiæ, vt *vir, ri, pater, tris*. In S, omnium delinationum, primæ, vt *Æneas, æ*, ſecundæ, vt *Dominus, ni*, tertiæ, vt *miles, litis*, quartæ, vt *ſenſus, us*, quintæ, vt *dies,ei*. In, O, tantùm tertiæ, vt *ſermo, onis*, in, P. Q. nulla. In, T. tertiæ, vt *caput tis*. In, V. quartæ, vt *genu, nu*. In, X. tertiæ, vt *calix, cis*. In, Y, nullum latinum. In, Z. nullum.

Ad-

Aduertite hoc loco quædam Græca nomina, quæ in latina lingua vſui ſunt, ſpectare ad primam inflexionem. In, as, vt *Æneas, æ, æ, am, a, a.* In es, vt *Anchiſes, æ, æ, em e, e.* In e, vt *Grammatice, ces, cæ, cem, ce, ce,* quæ etiam latino more inflecti poſſunt, quemadmodum in numero multitudinis cum latina inflexione conueniunt.

Qualitas nominis ea eſt, per quam intelligitur, an nomen ſit proprium, an appellatiuum. Proprium vnius eſt; vt *Cæſar*, Appellatiuum multorum, vt *Rex*. Hùc referri poſſunt. Collectiuum, quod cum ſit numeri ſingularis, pluritatem tamen rerum includit, vt *exercitus, populus*, vnde Virg.

Pars in fruſta ſecant.

Adiectiuum, quod additum ſubſtantiuo eius ſignificationem declarat, ac perficit, vt *homo iuſtus, homo pius*: neq; enim ſine adiectiuo perſpicimus, qualis ſit homo. Hæc verò qualitas, iuxta Palęmonis ſententiam, à tribus ducitur: ab animo, vt *bonus*: à corpore, vt *pulcher*: à fortuna, vt *diues*.

Adiectiuum verò ratione terminationis tripliciter diuiditur: nam aut ſub vna terminatione, ſeù ſine tribus generibus conuenit, vt *fallax, fælix, elegans, diues,* aut ſub duabus, vt *fortis, te, breuis, ue*: aut ſub tribus, vt *bonus, na, num, hic acer, hæc acris, hoc acre.* Adiectiua duarum vocũ ablatiuo exeunt ſemper in, i,

 vt

vt *forti* , vnius in, e, & in i , vt *elegante*, *eleganti*.

Pronomen, quod pro ipſo nomine ponitur, cum enim dicitur, *hic fecit*, perinde eſt, ac ſi dicatur : *Cæſar fecit*. Primi ordinis ſunt. *Ego, tu, ſui*, quæ dicuntur primitiua. Secundi ordinis, *Ille, ipſe, iſte, hic, is*, quæ demonſtratiua, ſeù relatiua; tertij ordinis, *meus. tuus, ſuus, noſter, veſter*, quæ poſſeſſiua , ſeù deriuatiua; quarti ordinis , *noſtras , ſtratis , veſtras, ſtratis*, quæ gentilitia .

Tam hæc pronomina , quàm adiectiua , à quibus participia non diſtant , conueniunt cum ſuis ſubſtantiuis in genere, numero, & caſu; vt *Ex malis moribus bona leges natæ ſunt*.

Comparitionis gradus tres ſunt, Poſitiuus, vt *doctus*, Comparatiuus , vt *doctior* , Superlatiuus , vt *doctiſſimus*. Ex his tamen poſitiuis ea ſola comparantur , quæ qualitatis , aut quantitatis augumentum , aut decrementum patiuntur, vt *Sanctus, tior, tiſſimus, altus, altior, altiſſimus*.

Paradigma, ſeù exempla declinationum facilè eſt aliunde petita oretenus tyronibus proponere .

DE VERBO.

CAP. II.

VErbum frequens in oratione , & ideo à *verberato aere* dici, ait Priſcia-

ſcianus. Differt à nomine, quod verbum dicit factum, dictumuè perſonæ, nomen ipſa m perſonam: præterea verbum habet tempus, & caret caſibus; nomen contra caſus habet, & caret tempore.

Verbo contingunt pariter, *genus, forma, figura, modus, tempus, numerus, perſona, & coniugatio.*

Genus ratione ſignificationis triplex eſt; aut enim actiuè ſignificat, vt *lego*, aut paſſiuè, vt *legor*, aut neutro, vt *ſto.*

Forma (teſte Donato) quadruplex eſt: perfecta, vt *lego*, meditatiua, vt *lecturio*, frequentatiua, vt *lectito*, inchoatiua, vt *ferueſco*.

Figura duplex, ſimplex, vt *lego*: compoſita, vt *perlego* modus quintuplex. Indicatiuus habens ſignificationem indicantis, vt *ſcribo*; Imperatiuus ſonum habens imperantis, vt *ſcribe*; Optatiuus, quo optamus, vt *vtinam ſcriberem*. Coniunctiuus, cui quid coniungitur, vt oratio ſit perfecta v.g. *cum legam, quid me turbas?* Infinitiuus, quod numeros, & perſonas parum definit; quamuis tempus determinetur, vt *legere*.

Tempus triplex; præſens, vt *amo*, præteritum, vt *amaui*, futurum, vt *amabo*. A præſenti tamen naſcitur imperfectum, vt *amabam*, à præterito pluſquam perfectum, vt *amaueram*, & futurum coniunctiui, vt *amauero*.

Numerus duplex, vt in nomine.

Perſona triplex, prima, vt *amo*, & *amamus*, ſecunda, vt *amas*, & *amatis*, tertia, vt *amat*, & *amant*.

Coniugatio quadruplex, ſi modum imperatiuum inſpexerimus, & infinitum; prima in, a, are, vt *ama, amare*; ſecunda in, e, & ere, longum, vt *doce, docere*, tertia in e, & ere, breue, vt *lege, legere*, quarta in, i, & ire, longum, vt *audi, audire*; Si verò Indicatiuum terminans in ſecunda perſona; triplex eſt; prima in, as, ſecunda in, es, tertia in, is.

Paradigma coniugationũ aliunde petita oretenus diſcipulis proponi poſsũt.

DE PARTICIPIO.

CAP. III.

PArticipium à re ipſa, hoc eſt à *participando* nomen habet; verbi enim, & nominis eſt particeps; eius ſignificationes à verborum ſignificationibus enaſcuntur, vt *amans, amaturus* actiuæ ſignificationis ſunt *amatus, amandus* paſſiuæ, *ſtans, ſtaturus* neutrius, de quibus plura oretenus, & in ſyntaxi.

In exponendis Participijs habetur ratio verbi ſequentis cuiuſcumque temporis fuerit, trahit eodem ferè Participium, *vt legendis libris doctus euado, cum legam, &c. legendis libris doctus euaſi cum legerim, &c.*

DE ADVERBIO.

CAP. IV.

ADuerbium dicitur vox, quæ addita alijs, ſed præcipuè verbis, ſignificationem eorum perficit; vg. *admodum puer, valdè* bonus, *benè* mane, *honeſte* viuit, *rectè* agit.

Aduerbio accidunt tria. Significatio, Figura, Comparatio. Significatio multiplex eſt pro multitudine nominum, à quibus aduerbia naſcuntur; nam alia ſunt loci, vt *hic, ibi, vbi, &c.* Alia numeri, vt *ſemel, bis, ter,* Alia temporis, vt *nunc, heri, hodie, &c.* Alia affirmationis, vt *ſanè, certè.* Alia negationis, vt *non, nequaquam, &c.* Alia euentus, vt *fortè, fortaſſe, &c.* Alia ſimilitudinis, vt *ceu, velut, &c.* Alia qualitatis, vt *doctè, rectè,* & alia multa ſimilia, quorum exempla paſſim occurrunt.

Figura duplex eſt, ſimplex, vt *doctè,* compoſita, vt *indoctè.*

Comparatio habet tres gradus, poſitiuum, vt *doctè;* comparatiuum, vt *doctius,* ſuperlatiuum, vt *doctiſſimè.*

DE CONIVNCTIONE.

CAP. V.

CONiunctio dicitur, quod ſenſus, ſententiaſque *coniungit*; per ſe enim nullius eſt virtutis, ſed eſt in oratione quaſi glutinum. Coniunctioni tria accidunt; *Genus, Figura, & Ordo.*

Genus (auctore Donato) quintuplex eſt; aliæ enim Coniunctiones ſunt copulatiuæ, vt *que*, & *atque*, *quoque*, quæ ſenſus, perſonaſque connectunt. Aliæ ſunt diſiunctiuæ; vt *aut, vel, ne, nec, an, &c.* quæ etſi diſtinguunt res, ſenſus tamen connectunt. Aliæ expletiuæ, vt *ſaltem, equidem, videlicet, licet, &c.* quæ rem propoſitam explent, v.g. *Eſt vir ingenioſus, licet iracundus.*

Aliæ cauſales dictæ à *cauſa*, qua quid facere conſtituimus, vt *Studeo, quoniam cupio ſcientiam.*

Aliæ rationales, vt *ideo, enim, igitur, itaque*, dictæ à *ratione*, qua vtimur in faciendo, vt *Cupio ſcientiam, ideo ſtudeo.*

Figura duplex eſt: ſimplex, vt *que, nam, &c.* compoſita, vt *atque, namque.*

Ordo triplex: aliæ præcedunt: vt *& atque, neque, niſi, &c,* & dicuntur præpoſitiuæ.

Aliæ ſuccedunt, vt *que, ve, quidem, vero,*

vero, autem, enim, & dicuntur ſubiunctiuæ.

Aliæ vtroque modo ſe habent: vt *ergo, igitur, itaque. &c.* & dicuntur mediæ, ſeu communes.

DE PRAEPOSITIONE.

CAP. VI.

PRæpoſitio nomen ſortitita eſt à re, quod ceteris partibus *præponatur*: idque bifariam: quandoque ad compoſitionem, vt fiat eadem dictionis pars: vt *doctus, indoctus*; aliquando ad conſtructionem, vt *dicere apud Senatum*,

Præpoſitio tripliciter dictionis ſignificatum afficit: aut enim perficit, vt *facio, perficio* aut mutat, vt *felix, infelix*; aut imminuit, vt *rideo, ſubrideo.*

Aliæ præpoſitiones ſunt ſeparabiles, & ſunt vnde quinquaginta; triginta cum Accuſatiuo: quindecim cum Ablatiuo: quatuor cũ vtroq; de quibus ſuo loco.

Inſeparabiles ſex: *di, dis, ſe, re, an, con*; quæ a dictionibus diſiunctæ nihil ſignificant.

DE INTERIECTIONE.

CAP. VII.

INteriectio dicta eſt, quod alijs orationis partibus *interponitur* tantum

ad exprimendos animi affectus, & ideò eius ſpecies numerantur ad affectuum, quos exprimunt, multitudinem: aut enim lætitiæ motum ſignificat; vt *Euohe, Euge, Io*; aut doloris: vt *heu, hei, ah, &c.* & quæ ſunt generis eiuſmodi.

Interiectiones pronunciantur voce incondita, quia non habetur ratio accentus: nam (vt ait Albinus Grammaticus) pronunciantur pro affectus qualitate, longius, aut breuius, grauius, aut acutius.

Finis Primæ Partis Grammaticæ.

PARS II.

Syntaxis Methodicæ Nominum, & Verborum.

NOminatiuus agentis, ſeù patientis eiuſdem numeri, & perſonæ antecedit omne verbum finitum: vt *ego ſtudeo*; *tu legis*; *illi ludunt*: aliquoties aliqua orationis pars vicè Nominatiui fungitur; vt *mentiri meum non eſt*. *dolet mihi quod non ſtudeas*: *bene eſt rebus meis*; *placet mihi te valere*.

Si plures Nominatiui ad idem verbum referantur, in hunc ferè modum efferuntur; *Ego, & tu ſumus in tuto*; *Tu, & pater eſtis in periculo*; *Pater, & mater amant filium*.

Prima, & ſecunda perſona vtpotè certæ ſignificationis plerumque non exprimuntur, niſi Emphaſis, aut diſcretionis cauſa. v.g. *Tu audes iſta loqui*, *Tu accuſas*, *Ego damno*. Verba infiniti modi pro Nominatiuo Accuſatiuum habent, vt *Cupio te ſtudere*, *& me à te amari*.

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi verba Actiua.

OMnia verba, quæ à ſe in aliā rem, vt patientem, actionem ſuam tran-

tranſfundunt, actiua vocantur, & facile cognoſci poſſunt per hanc interrogationem. *Quam rem?* hoc pacto: *Quam rem amo? adifico? aro? Amo virtutem, Ædifico domum, Aro terram.*

Omnia verò verba per huiuſmodi interrogationem cognita Actiua, habent à fronte nominatiuum dictionis, a qua incipit actio, & à tergo accuſatiuum nominis; aut loco accuſatiui infinitum, in quod eadem actio terminat. ex: g: *Ego colo Deum: Puto te audiuiſſe*; actio incipit a pronomine, *Ego*, terminat in *Deum*, & in *te audiuiſſe*.

Ad hanc regulam omnia genera Actiuorum referuntur, ex quibus quædã præter ſuos principales caſus alios etiam habent ſibi adiunctos, de quibus ordine omnia dicemus.

Verba Accuſationis, & Damnationis.

OMnia verba, quæ ad accuſationem, criminationem, & damnationem pertinent præter principales ſuos caſus genitiuum, vel ablatiuum caſum ſiue certi criminis, & penæ.

Vt (Furti Parricidij Capitis)

Siuè incerti

Vt (Sceleris Peccati Supplicij Tormenti)

Elegantiſsimè ſibi adiungunt.

Te-

Teren. Eun. Act. 5. *Hic furti ſe alligat.*
Plaut. *Ita eum furto alligat.*
Æmil. Prob. *Accuſatus hoc crimine,*
Cic. pro Rab. *Ciuem Romanum capitis condemnare cogit.*
Cic. Tuſcul. *Capite damnatos morte mulctauit.*
Id. ad Tironem. *Etiam ſceleris condemnat generum ſuum.*
Id. 3. Verr. *Abſolutus improbitatis.*
Et ad Heren. *Abſoluit iniuriarum eum.*

1 Nota genitiuum criminis, & pœnæ eleganter cum particula, *De*, in ablatiuum commutari. Cic. ad Heren. *De pecunijs repetundis damnatus.* Id. ad Q. fratr. *De prauaricatione abſolutus.* Gellius. *De pudicitia grauiter accuſauerit.*

2 Nota præpoſitionem, *In*, cum ſuo caſu adhærere verbis accuſandi, & condemnandi.

Cic. ad Q. fratr. *Primum me tibi excuſo in eo. &c.*
Et in quo alios accuſas, te ipſum condemnas.

3 Nota modum variandi hos genitiuos, & ablatiuos iuxta modum loquendi vernaculum.

Accuſo, e condanno alcuno di negligenza, nella negligenza, per la negligenza, ouero la negligenza d'alcuno, ò alcuno frà negligenti, ò la negligenza in alcuno.

Aliquem negligentia, de negligentia, in negligentia, propter negligentiam arguo, & con-

condemno, vel negligentiam alicuius, & aliquem inter negligentes, vel negligentiam in aliquo. Quas dicendi formas paſſim inuenies.

Verba Pretij, & Aeſtimationis.

QVæcunque Verba pretium, ſiuè æſtimationem quoquo modo recipiunt, in genitiuo ſibi aſciſcunt adiectiua incerti pretij: vt

Tanti	Quanti
Pluris	Minoris
Magni	Parui
Plurimi	Minimi
Tantiuis	Tantidem
Maximi	Quantilibet
Quãtiuis	Quanticũq;

Tanti res valet, quanti vendi poteſt.

Plin. lib. 3. 35. *Neminem minoris docuit talento.*

Terent. in Adelph. *Magni pendi poſtulo.*
Id. in Andr. act. 3. *Merito te ſemper maximi feci Creme, &c.*

Verba tamen venditionis, & emptionis hos duntaxat genitiuos exigunt *tanti, quanti, pluris, minoris*, & ex his compoſita.

Nomen autem appellatiuum pretij.

Vt (Aurum, Præmium, Merces, Pecunia)

Aut etiam proprium.

Vt (Denarius, Aſſis, Sextertius, Obulus)

Ablatiuo effertur.

Cic.

Cic. 7. Verr. *Pretio, & mercede minuiſti maieſtatem Reipublicæ.*

Id 2. offic. *Seius in caritate annonæ aſſe modium populo dedit.*

Valeo tamen ablatiuum etiam addita præpoſitione, *Pro*, vel eius loco accuſatiuum pretij recipit; vt

Valet pro decem aſſibus

Varro. *Denarij dicti, quod denos æris valerent;*

1 Nota ſi aliquod appellatiuum ſuperioribus adiectiuis accedat, ea in ablatiuum tranſire; excipe *tantidem*, quod ablatiuo caret.

Iuuen. *Quanto metiris pretio.*

Plinius tamen ſine adiunctione ſubſtantiui lib. 12. ſcriptum reliquit,

Tanto nobis deliciæ, & fœminæ conſtant.

Et Cic. 5. in Verr. *Permagno eius agri decumas vendidiſti.*

Varr. de re ruſt. lib. 3. cap. 17. *Piſcinæ maritimæ nobilium primum ædificantur magno, ſecundo implentur magno, tertio aluntur magno.*

Adde hùc vili, caro, vilisſimè, cariſſimè emere.

Seneca. *Cariſſimè conſtat quod precibus emptum eſt.*

2 Nota huiuſmodi formulas prouerbiales.

(Nauci Flocci
Pili Aſſis)

Te-

Teruntij	Nihili, vel pro nihilo
Huius.	Oſtendendo manu quid vile

Dici ad contemptum cum verbis.

Facio	Duco
Puto	Habeo
Æſtimo	Pendo

3 Nota *lucri*, & *ſumpti facio*, & *aqui*, *bonique*, vel *aqui boni facio*, *boni conſulo* ſingularia eſſe.

Verba Commodi, & Incommodi, & huius generis alia.

OMne Verbum perſonæ datiuum recipit, in cuius gratiam, vel commodum, ſeu contra, actio verbi cadit, aut eius rei, quę ad quæſtionem, *Cui?* redditur.

Cic. ad Attic. *Ei grande conuiuium fecerunt.*

Id. lib.14. Ep.1. *Egi gratias quibus voluiſti.*

Sueton. Domit. cap. 7. *Interdixit Hiſtrionibus ſcenam.*

Cæſar. lib. 3. ciuil. *Militibus ſuis iuſſit ne &c.*

Terent. *Si quid peccat Demea mihi peccat.*

1 Nota quibuſdam verbis geminum datiuum adhiberi, quorũ poſterior vulgò per prępoſitionem, *Ad*, exprimitur.

Huius

Huius generis ſunt.

Eſſe alicui	Curæ / Damno	Cordi / Moleſtiæ	
	Dare / Ducere	Vertere / Tribuere	Sibi honori
Venire alicui	Præſidio / Exitio		Infamię, &c.

Virg. lib. 1. En. *Venturum excidio Lybia.*

Hùc referuntur verba motus, quæ pro accuſatiuo cùm ſua præpoſitione *Ad*, eleganter apud Poetas datiuum recipiunt.

Id. lib. 1. *Inferretque Deos Latio.*
It Clamor Cælo.

2 Nota quædam pro datiuo accuſatiuum cum præpoſitione, *Ad*, non reſpuere.

Qualia ſunt	Scribo / Mitto	Reſcribo / Remitto

Præterea interdico accuſatiuum rei mutat frequenter in ablatiuum.

Tacitus. *Accuſatores aqua, & igni interdicerent.*

3 Nota *Iubeo, Prohibeo, Veto* frequentius infinito adhærere.

Cic. pro Deiot. *Iubeo te bene ſperare.*

Id. pro Cluent. *Et eum ſaluti deſperare vetui.*

Terent. Heaut. *Ea prohibet facere tua præſentia.*

Ver-

Verba diuerſi generis cum Gemino Accuſatiuo.

OMnia verba alterum poſſunt recipere accuſatiuum rei, circa quam actio verbi verſatur; hoc eſt eius rei, circa quam quemquam *docemus, rogamus, admonemus, celamus, veſtimus.*

Gellius: *Eruditus Græcas litteras.*

Saluſt. *Per legatos cuncta edoctus.*

Cic. ad Att. *Meo iure te hoc beneficium rogo.*

Virg. 2. Æn. *Pacem te poſcimus omnes.*

Tacitus. *Cognitum eſt barbaros malle Romam petere Reges, quam habere.*

Cic. de Diuin. *Multa oſtentis, multa extis admonemus.*

Plaut. *Ibo, & conſulam hanc rem amicos.*

Eccl. *Induit eum ſtolam gloriæ.*

1 Nota quędam huius generis verba commutare non ineleganter accuſatiuum cum ablatiuo adiecta præpoſitione *De.*

Cic. lib. 4. Ep. *Putaui te ea de re eſſe admonendum.*

Quintilianus etiam dixit lib. 1. cap. 5. *Grammaticos ſui officij commonemus.*

Cic. lib. 2. Ep. 12. *Obuiæ ſint mihi litteræ tuæ, quæ me erudiant de omni Republica.*

Id. pro dom. ſua. *Arrogans eſt de rebus diui-*

diuinis Pontificum Collegium docere conari.

Id. lib. 7. Ep. 20. *Baſſus noſter me de hoc verbo calauit.*

Etſi Terent. dixerit form. Act. 5. ſcen. 4. *Quid ſi hoc caletur Patri tuo?*

Et Lucan. *Calo à te conſilium meum.*

Cic. de Leg. *De quo cum conſulerent Athenienſes Apollinem.*

2 Nota verba eruditionis; *Inſtruo, Informo, &c.* ablatiuo frequentius gaudere.

Cic. de Amic. *Qui magnam Graciam inſtitutis, & præceptis ſuis erudierunt.*

Aliquando adiecta etiã particula, *In,*

Id. ad Q. fratr. *His in rebus iam te vſus ipſe erudiuit.*

Prætcrea, & accuſatiuo interpoſita particula, *In*, vel, *Ad*.

Ouid. *In patrias artes erudiendus erat.*

Cic. de fin. *Philoſophia nos primum ad cultum Deorum, deinde ad ius hominum, tum ad modeſtiam, magnitudinemque animi erudiuit.*

3 Nota variam conſtructionem verborum, quæ ad petitionem ſpectant frequentiſſimè inuenies ſic conſtrui

(Flagito Poſtulo Quæro Peto.)

Virg. lib. 11. *Veniamque oremus ab illo.*

Exempla ſunt huiuſmodi pęne infinita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ADMONITIO.

[Illud. Iſtud. Hoc. Multum.
Idipſum. Quid. Quod. Aliquid.
Nihil. Vnum, &c. Verbis cuiuſque
[ſpeciei poſſe in communi accuſatiuo adhærere.

Vt
(Aliquid ſi me adiuues,)
Nihil me fallis,
(Id vnum te admoneo,)
Aliquid mihi noces,
(Doleo vicem tuam,)
Nec te id conſulo.

Verba varij Generis cum Ablatiuo.

Verba omnia ablatiuum rei, quæ eſt inſtrumentum actionis ſibi adiungunt.

Cic. 5. Verr. *Epiſtola Timathidis manu ſcripta.*

Terent. *Hiſce oculis egomet vidi.*

Huc refer *Alo lacte, Placeo obſequio, curro Equis, vel pedibus*, & huius generis alia.

Eius ſimiliter rei, quæ pretij rationem obtinet.

Horat. *Vendidit hic auro patriam.*

Liuius. *Multo ſanguine, & vulneribus ea victoria ſtetit*; ſed de pretio ſatis ſupra.

Similiter eius rei, quæ tamquam ma-

te-

teries verbo additur, aut detrahitur.

Terent. *Emunxi argento ſenem.*

Cic. *Homines nequiſſimi quibus te onerauerunt mendacijs?*

Id. *Ægritudo me ſomno priuat.*

Virg. *Impleuitque mero pateram.*

Huc refer verba *copiæ*, & *inopiæ*; verba *implendi*, *exhauriendi*, *priuandi*, *impertiendi*, *onerandi*, *exonerandi*, *induendi*, *exuendi*. Similiter eius rei, ex qua tamquam ex materie, aut ex forma aliquid componitur.

Vt
- Calce, cęmento, lateribus, lignis, Lapidibus domus conſtructa.
- Quadrato lapide Capitolium extructum.
- Fabricata nauigia pino.
- Pauimentum decora varietate diſtinctum.

Poteris, & hanc materiem, aut formam exprimere addita prępoſitione, *Ex*, vel *De*.

Similiter eius rei, quæ eſt cauſa, ob quam, vel propter quam fit actio verbi.

Cic. ad Q. fr *Ardeo inuidia.*

Id. de Nat. De: *Conuiuere ſomno.*

Id. *Veſtra culpa hæc acciderunt.*

Non donat penuria.

Exul eſt inuidia.

Gaudeo tuis commodis.

His cauſſis adduntur præpoſitiones tum ablatiui *A*, *E*, *Ex*, *De*, *Præ*, *Pro*; tum accuſatiui. *Ob*, *Propter*, *Ad*.

Pro ipſarum cauſſarum diuerſitate, quam facilius vſu, quam præceptione doceberis.

Similiter eius rei, quæ modum verbi agentis explicat.

Cic. pro Mil. *Sapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo.*

Id. de Cl. Orat. *Via, & arte dicere.*

Modus hic actionis præpoſitionem, Cum, tamquam comitem non reſpuit.

Cic. *Proſpicere aliquam rem cum conſilio, & cura.*

Similiter eius rei, qua exceſſus quantitatis, vel præexcellentiæ ſignificatur.

Iuu. de Pig. *Tota cohors pede non eſt altior vno.*

Cic. Tuſc. *Cato, qui hos ætate anteibat.*

Id. de Orat. *Aſclepiades eloquentia vincebat cæteros Medicos.*

Cui ablatiuo etiam addi poteſt præpoſitio, *In*,

Similiter eius rei, quæ abſolutè per ſe independens à nullo verbo in oratione conſiſtit.

Cic. ad Att. *Authore te velle capi, adiutore aſſequar.*

Cui ablatiuus eſt plerumque ex participijs.

Id. ad Att. *Scripſi hæc ad te appoſita ſecunda menſa.*

Quod genus Ablatiui exponitur per particulas tempus ad ſignificantes.

Cum

(Cum Quando) Appoſita eſt
(Dum Poſtquam) ſecunda
Vbi menſa.

Similiter eius rei, quæ partem ſignificat: Hor. *Animoque, & corpore torpet*.

Huc refertur ea de re; *Concidere animo, pendere animis*, licet etiam dicatur numero ſingulari, *animi pendere*; & apud Plautum

Ita me amor lapſum animi ludificat.

Cic. *Initio dicendi totis artubus contremiſco*,

1 Nota verba *copia*, & *inopia* pro ablatiuo genitiuum etiam recipere. Liu. *Adoleſcentem ſua temeritatis implet*. Etſi quoque Cic. dixerit. 4. Acad. *Res vniuerſas profundam*; de quibus volumina impleta ſunt.

Verba cum Ablatiuo, & Præpoſitionibus A, vel Ab, E, Ex, De.

OMnia Verba, quæ vel per intelligentiam, vel per ſenſum ſeparare, vel accipere aliquid ab aliquo quoquo modo videantur, eius rei ablatiuum poſcunt, à qua ſeparant, vel accipiunt. Cic. ad Att. *A te heri duas epiſtolas accepi*.

Id. ad eund. *Hoc te ex aliis audire malo*.

Id. de Clar. Orat. *Audiui iſta de maioribus noſtris*.

Id. 6. Verr. *Qui prædones ab Vrbe prohibuerunt.*
Suet. *Nec abhorret à veritate.*
Cic. de Sen. *Senectus abſtrahit à rebus agendis.*
Id. de *Niſi à Senatu præſidium poſtulaſſent.*
Ter. *Diſce ab his, qui vera ſciunt.*
Vir. *Diſce puer virtutem ex me.*

1 Nota audire de aliquo duplicem habere ſignificationem; vel enim eſt: *Aliquis mihi dixit*, aut: *Hò inteſo intorno alla perſona d'alcuno.* Hinc ortus loquendi modus.

Male, bene audio de aliquo, &c.

2 Nota modũ loquendi ab Ouidio: *Diſcite ſanari, per quem didiciſtis amare.*

Hoc eſt *à quo*, & alium à Plauto.
Diſcam de melioribus dictis; pro *melioꝛa dicta.*

3 Nota eundem ablatiuum mutari poſſe in datiuum communem ratione incommodi in verbis auferendi.

Cic. ad At. *Deſponſam homini Syriam ademi.*
Id. pro Sylla. *Excutiam tibi iſtam iactationem,*

ADMONITIO.

ADuerte verba ex præpoſitionibus compoſita, eandem, aut ſimilem præpoſitionem cum ablatiuo recipere.

Cic.

Cic. pro Mil. *Ex Vrbe exterminari, expelli, eijci.*
Id. in Verr. *Quemadmodum manus ab alienis pecunijs abſtinuer.s.*
Id. *De meo tamen iure decedam.*
Id. de nat. De. *Quod in omnium animis eorum notionem impreſſerat natura.*

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi verba Paſſiua.

Verba quorum rectus caſus patitur actionem verbi, Paſſiua vocantur, & cuiuſcunque generis illa ſint, Ablatiuum agentis perſonæ cum, *A*, vel, *Ab*, recipiunt: ſiuè illa ſint naturaliter paſſiui generis, vt Horat.

Laudatur ab his, culpatur ab illis.

Siuè Neutro-paſſiua.

Vt [Vapulo, liceo, væneo.
Exulo, fio, &c.

Malo à parentibus vapulare, quam aſſentatoribus aures patefacere.

Siuè communia in paſſiua ſignificatione, vt:

Nobis à Deo largita eſt gratia.

Siuè vt aiunt Imperſonalia paſſiuæ vocis.

Cic. *Nihil eſt à me inſeruitum temporis cauſa.*

Siuè participia paſſiuam ſignificationem habentia.

Laudatus, & laudãdus ab omnibus.

1 Nota hunc Ablatiuum perſonæ,

poſſe verti in Accuſatiuum cum prępoſitione, *Per*.

Cic. *Pax per ſuos, per liberos cum ciuibus confirmata eſt*.

Vel etiam in datiuum Græco more.

Id. *Honeſta bonis viris, non occulta quæruntur*.

Virg. *Nec cernitur vlli*: id tamen frequentius ſolet fieri cũ participijs.

Id. lib. 1. Æn. *Nulla audita mihi, nec viſa ſororum*.

2 Nota caſus vlteriores, ſi qui fuerint, non mutari, ſed manere eoſdem in paſſiuis, qui in actiuis.

Cic. de Opt. *Erchinus à Demoſthene capitis fuit accuſatus, &c.*

In verbis autem geminum accuſatiuum habentibus præſtantior perſonæ accuſatiuus migrabit in nominatiuum, qui ſi deſit; accuſatiuus rei eius loco ſuccedat.

3 Nota hæc verba:

Impéro,	Prohibeo,
Iubeo,	Inuideo.

Si contigerit fieri paſſiua datiuum perſonæ recipere poſſe in Nominatiuum, vt

Impero tibi: Imperaris à me.
Inuideo tibi: Inuideris à me.

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi verba Neutra.

VErba, quæ nihil, vt in patientis rem de ſe transfundunt, nec admittunt hanc interrogationem: *Quam rem?* ſed in ſe ipſis complent actionem,

Vt [Viuo Ambulo
Sto Surgo
Dormio Curro.

Aut etiam intra ſe ipſa animi, vel corporis paſſionem ſignificant.

Vt [Palleo Rubeo
Gemo Palleſco
Rubeſco Ingemiſco.

Neutra dicuntur,& à fronte gaudent ſolo Nominatiuo.

Cic. ad Att. *Cn. noſter, vt totus iacet.*
Id. pro Mil. *Vna ſederet vxor.*

Hæc verba, quæ Neutra dicuntur in triplex genus diuiduntur.

1 In Subſtantiuum, quod rei exiſtentiam ſignificat, quodque aut nullum poſt ſe caſum habet, aut vtrinque Nominatiuum.

Plaut. *Ego ſum miſer, ac miſerrimè perditus.*

2 In Abſolutum, ſiuè Abſolutiuum, quod naturaliter abſque vllo caſu conſtrui ſolet, quod ſi aliter contigerit, id beneficio caſus communis, ſeu præpoſitionis fiet.

Vt [*Surgo è lecto,* *Rubeo verecundia.*
Dormio in cubiculo.

3 In Tranſitiuum, quod cum ſolo ſuo nominatiuo non efficit ſenſum perfectum, ſed in alium caſum fertur diuerſum ab eo, qui eum præceſſit, vt

Placeo; Seruio Deo.
Ego abundo diuitijs.

1 Nota hæc vltimi generis verba ſecundum variam eorum ſignificationem varios quoque caſus recipere adiacentes; quorum quidem regulas facile eſt ab Actiuis petere, vbi demonſtratum eſt verba commodi, & incommodi, & quæ reſpondent quæſtioni *Cui?* Datiuum ſibi aſciſcere. Verba abundantiæ, & egeſtatis ablatiuo, & genitiuo adhærere, & ſic de cæteris ablatiuis communibus.

2 Nota quædam verba ex abſolutis cognatæ rei accuſatiuum caſum ſibi adiungere.

Virg. *Longam videtur ire viam.*

Vt [*Viuere vitam,*
Seruire ſeruitutem.
Currere curſum, &c.

Quorum nonnulla etiam illum mutant ablatiuo. Plaut. *Viuo vita alia.*

3 Nota non ſolum verba ſubſtantiua, ſed quodcunque verbum perſonale finiti modi vtrimq; nominatiuũ admittere, qui ad eandam rem pertineat, vt

Iaceo ſupinus, *Ambulo rectus,*
Maneo immobilis, *Feci inſcius.*

Metho-

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi verba Deponentia.

VErba, quæ retenta terminatione in, or, ſiuè Actiui ſignificationem obtineant.

Vt [Sequor, Tueor, Contemplor.

Siuè neutrius.

Vt [Philoſophor, Glorior, Iocor.

Vnico nomine Deponentia nuncupauerunt Grammatici, quamuis prioris generis verba etiam communia dixerint, quia in eadem terminatione, ſicuti agendi, & patiendi ſenſum admittunt, ita ſibi vtriuſque generis conſtructionem vindicarent.

Plaut. *Fortiter malum qui patitur, idem poſt patitur bonum.*

Tac. *Ab Achais ora maritima depopulata eſt.*

Secundi generis verò tot ſunt ſpecies, quot neutrorum, eaſdemque penè habent ſignificationes, & conſtructiones; ex his enim alia ſunt abſoluta, quæ nominatiuo à priori contenta ſenſum explent, & non niſi beneficio communis caſus, vel præpoſitionis vlteriores caſus regunt, vt:

Proficiſcor in Prouinciam, à Prouincia.

Lacrymor dolore, præ dolore, propter dolorem.

Alia ſunt tranſitiua, quæ ab agente in rem aliam, non tamen, vt in patientem tranſitum faciũt: hæc iuxta variam eorum ſignificationem varios caſus regunt.

Verba, quæ correſpondent quæſtioni *Cui?* ſicuti ſæpè dictum eſt, datiuum exigunt.

Vt (*Suffragor* / *Auxilior* / *Opitulor* / *Adminiculor*) Amicis.

Verba memoriæ,
Obliuiſcor,
Recordor,
Memini;

Genitiuo gaudent, vel Accuſatiuo, vel Ablatiuo addita præpoſitione, *De*;

Vt (*Recordor*) *huius rei*, / *hanc rem*, / *de hac re*.

Sic etiam (*Venit in mentem*) *hæc res*, / *huius rei*, / *de hac re*.

1 Nota varietatem conſtructionis horum verborum.

Adulor,	Palpor,
Medeor,	Medicor,
Præſtolor,	Comitor;

Quæ accuſatiuo æque, ac datiuo iunguntur.

Tac.

Tac. *Tigellinum, aut quem alium potentum adulatus eſt.*
Cic. *Non ſum adulatus fortunam illius.*
Plaut. *Ego iſtum medicabor metum.*

Reliqua exempla non adduco, breuitatis ergo, quæ paſſim inueniuntur.

2 Nota [Fungor Vtor / Abutor Glorior,] frequentius ablatiuo, & rarò accuſatiuo adhærere, ſic Potior genitiuo, accuſatiuo, & ablatiuo gaudere.

3 Nota Dominor, vel accuſatiuum, vel ablatiuum addita præpoſitione, *In*, requirere.

Cic. *Natura in bonis dominatur.*
Id. *Senectus vſque ad extremum ſpiritum dominatur in ſuos.*

Aliquando, & paſſiuam recipit ſignificationem.

Id. 1. Offic. *O domus antiqua, heù quam diſpari dominaris dominio:*

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Verba Defectiua, ſiuè Imperſonalia.

VErba, quæ prima, & ſecunda perſona plerumque carent, contenta tantum tertia, Defectiua vocantur, & vulgò Imperſonalia, ſiuè innumeralia, non quia reſpuant nominatiuum agentis perſonæ, ſeù patientis, ſed quia perſonis nobilioribus, & ſæpè nũmero multitudinis priuentur.

Horum genus triplex eſt.

Alia dicuntur abſoluta ſolius naturæ extra poteſtatem hominis, quæ vel abiecto Nominatiuo ſe ipſis ſenſum perficiunt, vt:

Pluit	Fulgurat
Tonat	Ningit
Rorat	Serenat

Subauditur tamen in his omnibus,

Vel (Deus Natura) (Cœlum Aer)

Reperiuntur tamen aliquando, vt pura actiua.

Vt (*Iuppiter ſerenat aerem,* (*Fulminat arcem,*) (*Grandinat vineam,* (*Pluit imbres.*)

Plin. *Quanto tu ore Patris laudes tonas.*

Id. *Si rorauerit quantuluncunq; imbrem.*

Leguntur etiam cum ablatiuo rei, quæ alienæ ſit ſignificationis.

Liu. *Relatum eſt in monumentis lacte, & ſanguine pluiſſe.*

Alia ſunt, quæ olim cum eſſent integris perſonis Actiuorum more conſtruebantur, aut Neutrorum.

Vt (Pœnitet Pudet) (Miſeret Miſereſcit)

(Tædet Piget) (Delectat Decet)

Et (Iuuat Dedecet) (Inceſſit.)

Quæ

Quæ à priori, vel Nominatiuum habent, vel Nominatiui loco partem orationis, ſiuè infinitam, ſiuè perſonalem, à qua regantur, & à tergo accuſatiuum patientis perſonæ.

Terent. *Non hæc te pudent.*

Id. *Hæc me conditio nunc pœnitet.*

Hor. *Multos caſtra iuuant.*

Ouid. *Virum forma neglecta decet.*

Plaut. *Neque mei, neque tui puditum eſt.*

Id. *Ita nunc pudet.*

Liu. *Ætoli ſi pœnitere poſſint.*

Enn. *Miſerete manus, date ferrum.*

Virg. *Miſereſcite Regi.*

Nunc autem ſex priora verba loco Nominatiui, genitiuum frequentius aſſumunt:

Cic. *Me non ſolum piget ſtultitiæ tuæ, ſed etiam pudet.*

Id. *Tui me miſeret.*

Reliqua verò verba

Decet	Iuuat
Dedecet	Inceſſit

Accuſatiuum patientem in datiuum commutant.

Cic. *Quandoque id deceat prudentiæ tuæ.*

Plaut. *Quando ita tibi iuuat.*

Cic. *Inceſſit patribus cura grauior.*

Sall. *Rectoribus dedecet.*

Alia ſunt pura Neutra, quæ contenta Nominatiuo à priori, vel eius loco infinito, vel aliqua parte orationis eius rei datiuum exigunt, quæ correſpondet quæſtioni, *Cui?*

Plaut. *Quæ res bene vertat mihique, tibiqua. tuæque filia.*

1 Nota	Intereſt	Refert	
	Pertinet	Spectat	
	Attinet	Eſt.	

Eodem modo à fronte, ac reliqua defectiua conſtrui, a tergo autem, eſt, intereſt, & refert genitiuum perſonæ animatæ.

Cic. ad Q. Fratr. *Eſt eius, qui alijs præit, eorum quibus præſit commodis ſeruire.*

Id. *Plus interfuit Reipublicæ.*

Intereſt, & refert etiam accuſatiuum rei inanimatæ addita præpoſitione, *Ad*,

Cic. *Nihil ad rem refert.*

Id. *Ad noſtram laudem video non multum intereſſe.*

Quem accuſatiuum perſonæ animatæ, tum rei inanimatæ ſemper exigunt.

Pertinet,
Spectat,
Attinet.

Ter. *Quod ante hac fecit, nihil ad me attinet.*

Cic. *Quod ſpectat ad beatè viuendum.*

2 Nota, Intereſt, & Refert pro genitiuo hos ablatiuos admittere.

Mea	Tua	Sua
Noſtra	Veſtra	Cuia

Cic.

Cic. ad Att. *Magni intereſt mea vna nos eſſe.*

Id. *Ea cades detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit.*

Verbum autem, Eſt, eadem poſſeſſiua in nominatiuum recipit.

Id. ad Att. *Fuit meum Rempublicam regere.*

3 Nota hæc eadem verba admittere eos genitiuos infiniti pretij.

Tanti	Quanti
Magni	Parui;

Quos etiam mutant in nominatiuum.

Cic. *Permagni noſtra intereſt te eſſe Romæ.*

Id. *Oſtendam alio loco quantum ſalutis communis interſit.*

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Verba Infinita.

VErbum, quod citra omnem numeri, aut perſonæ differentiam ab altero dependet, ea ratione dicitur infinitum, cuius duplex eſt genus. Alterum eſt verbi perſonalis, quod loco nominatiui ſui verbi vult ante ſe accuſatiuum, & poſt ſe non mutat caſus, vt Cic. *Cupio te ædilem videre.*

Id. *Spero me cauſſam tibi probaſſe.*

Alterum verbi Imperſonalis, quod ante ſe, & poſt ſe habet caſus verbi vnde emanat, vt;

Scimus Paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.

Infinitum verò Verbi ſimilium copulatiui ſimiles pariter vtrinque caſus admittit, vt:

Malo eſſe, quam haberi bonus.
Expedit vobis eſſe bonis, & eſſe bonos.

1 Nota multifariam infinitum accipi.

1 In propria natura, vt: *Cupio legere.*

2 Pro aliquo nomine.

Mart. *Velle tuum nolo Didime nolle volo.*

3 Pro præterito imperfecto Indicatiui:

Teren. *Inuidere omnes mihi, & mordere,* pro *inuidebant,* & *mordebant.*

4 Pro Gerundio in *dum*, & Supino in *vm*.

Id. *Vultis eamus viſere*, pro *ad videndum*, vel *viſum*.

5 Pro Gerundio in, *Di*.

Cic. *Iam tempus ad id, quod inſtituimus, accedere*, pro *accedendi*.

6 Ea ratione plura adiectiua regunt infinitum.

Horat. *Indocilem pauperiem pati: Audax perpeti; timidus mori: paratus dicere.*

7 Abſolutum videtur infinitum, & à nullo pendere.

Virg. *Me ne Iliacis occumbere campis Non potuiſſe, &c.*

Subauditur, *Decuit*, aut quid ſimile.

2 Nota ſi infinitum non erit in propria natura, hoc eſt, ſi admiſerit particulam, *Che*, exponi per particulas.

Vt	Ne
Quin	Quid
Quia	Quatenus

Secundum verborum diuerſitatem, à quibus pendent. Verba enim voluntatis, & facultatis, quæque ad aliquem finem, vel perfectionem tendunt, loco infiniti verbum finitum poſt ſe exigunt addita particula *vt*, vel *ne*;

Rogo, Cupio, Volo, te valere, hoc eſt *vt valeas*.

Iubeo te non ludere, hoc eſt *ne ludas*.

Verba dubitationis loco Infiniti, *Quin*, in coniunctiuo modo admittunt.

Dubito Regem venire, hoc eſt, *quin veniat*.

Verba iudicij, ſeù intelligentiæ, & quæ particulam, *Che*, non ad cauſſam finalem, ſed ad cauſſam efficientem referunt, *Quod*, vel, *Quia*, ſiuè Indicatiui modo, ſiuè Coniunctiui, loco Infiniti aſciſcunt, vt:

Malum eſt Tyrannos viuere, hoc eſt, *Quod*, vel *Quia Tyranni viuant*, vel *viuunt*.

Lætor te lætari, hoc eſt, *quod læteris*, vel *lætaris*.

Aut ſi actio Verbi finiti erit anterior, & actio infiniti poſterior, reſoluatur

per

per particulam, *vt*.

Contra: ſi actio verbi finiti eſt poſterior, & infiniti anterior reſoluitur per particulam, *Quod*, ex. g.

Deſidero, che tu ſtudij:

Cupio, vt ſtudeas, quia prius ego deſidero quam tu ſtudeas.

Mi rallegro, che tu ſtudij.

Gaudeo, quod ſtuſteas, quia prius ſtudes, quam ego gaudeam.

3 Nota verborum, quæ ſupino deſtituta ſunt, elegantem circuitionem, ſi infinitum futurum fuerit.

Cic. *Spero, fore, vt contingat id nobis*.

Sin autem erit futurum mixtum præterito, circuitio habenda eſt per *futurum fuiſſe vt* ad imperfectum coniunctiui.

Arbitror futurum fuiſſe vt diſceres lectionem, &c.

Vel abiecta circuitione. *Didiciſſes arbitror, &c.*

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Participia, & Participalia.

VErba Participia, & Participalia dicuntur, quæ à verbo nata partem aliquam capiunt etiam à nomine: ea ſunt.

Participia,
Gerundia,
Supina.

Par-

Participium namque quoad ſignificationem, & poſteriorem conſtructionem imitatur ſua verba, quoad anteriorem conſtructionem, ſicut adiectiuum nomen cum præcedenti ſubſtantiuo conuenit, & inflectitur per genera, & caſus.

Vt (Amans, tis, Amaturus, ra, rum.) (Amatus, ta, tum. Amandus, da, dum.)

Primæ duæ participij terminationes, vt actiuè, vel neutrò ſignificant, ſic more Actiuorum, vel Neutrorum conſtruuntur.

Vt (*Puer amans Deum, Puer ſeruiens Deo.*) (*Amaturus Deum, ſeruiturus Deo.*)

Reliquæ duæ vt paſſiuè ſignificant, ſic paſſiuò-conſtruuntur.

Homo amatus à Deo.
Homo amandus à Deo.

Hoc Participium affert orationi compendium;

Amans, qui amat.
Amaturus, qui amabit.
Amandus, qui amabitur.

Præterea idem Participium tribus modis mutatur in purum nomen.

Primò. Conſtructione.

Sal. *Appetens alieni, profuſus ſui, doctus litterarum.*

Se-

Secundò. Amiſſione temporis, vt: *Homo venerandus*, hoc eſt *dignus veneratione*.
Tertiò. Compoſitione, vt: *Indoctus. Inauditus.*

Gerundium à verbo natum deſinit in *di, do, dum*, geritque & verbi, & nominis naturam, nam ſi à verbo oritur paſſiuam ſignificationem non habente, verbi, vnde naſcitur, conſtructionem poſteriorem dumtaxat gerit, nullam anteriorem, habetque à nomine ſolos caſus ſine generibus.

Genitiuus, qui ſuccedit non poſt verba, ſed poſt quædam appellatiua facultatis, voluntatis, aut deſiderij,

	(Facultas)	(Poteſtas)	(Amor)
Vt	(Finis)	(Opportunitas)	(Copia)
	(Vbertas)	(Cõmoditas)	(Initiũ)

Aut etiam poſt adiectiua deſiderium, aut ſcientiam ſignificantia, vt

(Peritus)	(Doctus)	(Ignarus)
(Cupidus)	(Auidus)	(Inſcius)

Vendicat ſibi terminationem in, *di*,
Cic. *Mirabilem copiam dicendi hic locus ſuppeditare ſolet.*
Id. *Cupidus ſatisfaciendi Reipublicæ.*

Hoc Gerundium tanquam ſubſtantiuè poſitum genitiuum multitudinis aliquando regit.
Terent. Heatont. *Date creſcendi copiam*
No-

Nouorũ, qui ſpectandi faciunt copiam.

Cic. *Facultas condonandi agrorum.*

Exponitur per coniunctionem, vt, ad præſens, vel imperfectũ ſubiunctiui.

Cupidus, vt ſatisfaciat, vel *ſatisfaceret Reipublicæ.*

Accuſatiuus, quem regat aliqua harum præpoſitionum.

Ad	Inter	Propter
Ob	Ante	Circa

Aſſumit ſibi terminationem in, *dum.*

Cic. *Hic locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus.*

Virg. *Inter agendum occurrere capro.*

Liu. *Inter ſpoliandum corpus hoſtis.*

Cic. *Eloquentia circa mouendum valet: Veni propter te redimendum.*

Virg. *Ante domandum equi extollunt animos.*

A quo pecuniam ob ſoluendum acceperas.

Hoc Gerundium cum præpoſitionibus, *Ad, Ob, Propter, Circa* exponitur per *Vt, Cum, Inter, per Dum*, & *Cum*;

Si hoc Gerundium neceſſitatem, munus, aut officium ſignificet, tranſit in nominatiuum, adhæretque vel abſolutè verbo ſubſtantiuo.

Vt (*Moriendum eſt. Vigilandum eſt.*)

Vel Datiuus perſonæ additur;

Vt (*Moriendum eſt, Vigilandum eſt.*) omnibus

Abla-

Ablatiuus, vel abſolutè poſitus, vel beneficio præpoſitionum *A, Ab, E, In, Ex, De, Cum, Pro*, terminationem *in, do*, ſibi aſſumit.

Virg. *Superanda omnis fortuna ferendo eſt.*

Cic. *Inuidere dictum à nimis intuendo fortunam alterius.*

Id. *Ab inuidendo rectè inuidentia dici poteſt.*

Teren. *Ex aſſentando, indulgendo, largiendo.*

Varr. *In ſupponendo oua obſeruant, vt ſint numero imparia.*

Cic. *Tu quid cogites de transeundo in Epirum.*

Quinct. *Scribendi ratio coniuncta cum loquendo eſt.*

Plaut. *Pro vapulando abs te mercedem peto.*

Hoc Gerundium vertitur per has particulas.

Dum	Cum	Poſt
Quam	Quando	Donec.

Pro verborum vario ſenſu, vel per Ablatiuum nominis verbalis, vt:

Ab aſſentatione, indulgentia, largitione.

1 Nota eadem Gerundia, ſi ſignificatione patiendi accipiantur, vel abſolutè poni, vt

Athenas erudiendi gratia miſſus: hoc eſt, *vt erudiretur.*

Quinct.

Quinct. *Memoria excolendo augetur*; hoc eſt, *dum excolitur*.

Cic. *Multa iudicia ad ſcribendum non neceſſaria*, hoc eſt, *vt nõ ſcribantur*.

2 Nota hæc omnia Gerundia verborum, quæ accuſatiuum patientis rei ſortita ſunt tanquam participium in, *dus*, accipi elegantius, & concordare genere, & numero in ſuo ipſorum caſu cum ſubſtantiuo rei patientis.

Cic. *Princeps defendendæ libertatis fui*.

Id. *Conuerti orationem in increpandam Cepionis fugam*.

Id. 1. Offic. *Latinam linguam legendis noſtris efficies pleniorem*.

Liu. *Qui ſunt ferendo oneri*.

Verbum, quod eſt coniugatione ſupremum, ſupinum nominatur.

Vt (Amo, as, aui, atum. / Video, des, di, ſum.)

Amatum, & *viſum*, tamquam vltimum verbi ſupinum eſt, habetque terminationem in ſimilitudinem accuſatiui, & ſuppreſſa præpoſitione verbis motum ad locum ſignificantibus adhæret, & ſicut actionis eſt potens, ita præ ſe nullam, ſed poſt eandem, niſi abſolutè ponatur, ac ſua verba, vnde emanat, recipit conſtructionem.

Terent. *Perconctatum ibo*.

Virg. *Seruitum matribus ibo*.

Supinum in Neutro paſſiuo, & ante infinitum *iri* paſſiuè ſignificat, & abſolutè conſtruitur.

Plaut. *Non vapulatum conductus ſum.*
Quinct. *Quod fratrem occidiſſet, damnatum iri videbatur.*

Præterea reſoluitur per participium in, *Rus*,

Ibo perconctaturus.

Per participiale in, *Dum*;

Ibo ad perconctandum.

Vel per particulam, *Vt*, & ſubiunctiuum.

Ibo, vt perconcter.

1 Nota: ſi ab hoc ſupino litteram, *m*, demus, alterum ſupinum, ſiuè nomen mauis dicere, quod ſimilitudinem ablatiui quartæ inflexionis habens, paſſiuæ ſignificationis eſt, & adhæret omnibus adiectiuis, facultatem, vel modum actionis ſignificantibus.

Cic. *Rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu*, hoc eſt, *vt vel audiatur, vel videatur*, vel *ad audiendum, & videndum.*

Nomina, quibus adhæret hoc Supinum, ferè ſunt.

(Arduum) (Facile) (Difficile)
(Horrendum) (Turpe) (Fœdum)
(Moleſtum) (Durum) (Aſperum)
Et his ſimilia.

Præterea vt purum nomen admittit adiectiuum, vt:

Res indigna noſtro auditu.

Vel genitiuum; *Auditu doctiſſimorum virorum*; vel præpoſitionem. *Ex auditu aliquid percipio.*

Metho-

Methodus collocandi Locum cum Verbis.

Locus quadruplicis ſpeciei conſtituitur.

1. In quo ſumus, aut agimus.
2. A quo recedimus.
3. Per quem tranſimus.
4. Ad quem tendimus, vel accedimus.

Prima ſpecies redditur Ablatiuo, & præpoſitione, *In*,

Cic. *Quid hic tibi in Epheſo eſt negotij, In Aſia continenter vixiſſe laudandum eſt.*

Secunda ſpecies etiam ablatiuo redditur, ſed præpoſitione. *A, Ab, Ex, E, De.*

Cic. *Bibulus Conſul ab Epheſo in Siriam profectus eſt.*

Id. *Lepido nunquam placuit ex Italia exire.*

Tertia ſpecies effertur Accuſatiuo, & præpoſitione, *Per*;

Liu. *Terreſtres excuſſiones per Magaram non fiebant.*

Cic. *Nos adhuc iter per Graciam facimus.*

Nomina tamen Vrbium propria in hac ſpecie puro ablatiuo frequentiùs efferuntur.

Cic. *Iter Laodicea faciebam, cum has litteras dabam in caſtra,*

Quarta ſpecies redditur etiam Accuſa-

cuſatiuo cum præpoſitione, *Ad*, vel *In*;
Cic. *Caſar ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur*.
Id. *Ille in ſuam domum Conſulatum primus intulit*,
Propria autem Vrbium, & in hac ſpecie, & in ſecunda ſuppriment frequentiùs præpoſitiones.
Cic. *Pontinus Epheſo Laodiceam reuerſus*.
Appellatiua etiam idem faciunt, ſed rarò.
Virg. 1. Æn *Italiam fato profugus Lauinaque venit. Littora, &c.*
Cic. *Qua via modo exiuit*.
1 Nota in prima ſpecie nomina locorum, hoc eſt Vrbium propria primæ, & ſecundæ declinationis frequentiùs in genitiuo collocari.
Cic. *Luxuries Annibalem ipſum Capua corrupit*.
Id. *Scæuolam ego Epheſi vidi*.
Sequuntur etiam hanc regulam appellatiua.

Domi	Togæ	Militiæ
Belli		Humi.

Horat. *Belli ſpectata, Domique virtus*.
Nomina verò tertiæ declinationis, ſeù pluralis dumtaxat numeri in ablatiuo ſuppreſſa præpoſitione.
Cic. *Philippus Neapoli eſt, Lentulus Puteolis*.
Quam regulam rarò imitantur nomina Inſularum, & Prouinciarum.

Cic.

Cic. *Sicilia cum eſſet*.
Id. *Sic etiam Ægypti occiſos cognoui*.

Locus, qui exprimit natale ſolum, ablatiuo effertur, & præpoſitione, *A*, *Ab*, *E*, *Ex*.

Terent. Heuton. *Eſt è Corintho hic aduena anus paupercula*.
Id. *Ab Andria eſt Ancilla hac*.

Locus verò in ſignificanda diſtantia eodem ablatiuo effertur, ſed ſola præpoſitione, *A*, *vel*, *Ab*.

Annibal ſex millia à Placentia caſtra communiuit.

Nomina verò ſpatij, vel menſuræ locorum.

Pes, Digitus, Paſſus, Cubitus, Stadium, Milliare. Milliarium.

Accuſatiuo efferũtur, rariùs ablatiuo.
Cic. *Nunquam à te pedem diſceſſi*, vel *nunquam pede*.

Qualitas autem Loci ablatiuo explicatur, vel accuſatiuo, & præpoſitione, *Ad*.

Tertiò ab Vrbe lapide caſtra poſuit. Vel ad tertium ab Vrbe lapidem.

Methodus collocandi Tempus cum Verbis.

Dictio, quæ ſpatium temporis, aut continuationem indicat, frequentiùs per Accuſatiuum, rariùs per Ablatiuum effertur.

Liu. *Romulus ſeptem , & triginta regnauit annos . Numa tres , & quadraginta .*

Suet. *Vixit annos viginti quatuor , imperauit triennio , & decem menſibus , diebus octo .*

Dictiones autem temporis ſunt ,

Momĕtum	Hora	Dies
Nox	Hebdomada	Menſis
Annus	Olympias	Luſtrum
Ætas	Æuum	Seculum
Æſtas	Autumnus	Ver
		Hyems.

Si autem hæc eadem vocabula qualitatem, ſeù ſpeciem temporis adnotent, ablatiuo efferantur .

Cic. *Superior bus diebus veni in Cumanum .*

Id. *Arabes campos , & montes peragrantes Æſtate, & Hyeme .*

¶ Nota eaſdem dictiones temporis variari per varias præpoſitiones iuxta circumſtantias eis appoſitas .

Auanti, e dopo l'ottauo giorno,
Ante, vel poſt octauum diem .
Per pochi, ò frà pochi giorni ,
Per paucos, vel intra paucos dies .

Licet hoc vltimum Ablatiuo etiam efferatur .

Paucis diebus .
Intorno ad vn'hora ,
Circiter horam .

Al-

All'hora ſtabilita,
Ad conſtitutam horam.
Inſino alla mezza notte,
Vſque ad noctem mediam.
Da quel tempo,
Ex eo, ab eo tempore.
Di notte ſi leua,
De nocte, nocte, noctu conſurgit.
In quel poco di tempo,
In eo temporis articulo.
Da qui à trè anni.
Ab hinc tres annos, vel tribus annis.
A tempo,
Tempore, tempori, vel in tempore.

ADMONITIO.

ADuerte nullum verbum eſſe, quod ſenſum coniunctioni, *Vt*, & ſubiunctiuo, aut præpoſitioni, *Ad*, & accuſatiuo ſubiectum admittere poſt ſe Telicòs, hoc eſt finalitèr, non poſſit.

Doceo, vt alij erudiantur,
Ad aliorum eruditionem.
Surgo, vt tibi obſequar,
Ad obſequendum tibi.

Methodus conſtruendi Nomen Subſtantiuum, cum Subſtantiuo.

QVoduis Nomen ſubſtantiuum poteſt poſt ſe regere genitiuum alterius ſubſtantiui diuerſæ rei, quod habeat ante ſe genitiui notam, *Di, Del*,

Della, exceptis nominibus materiæ componentis, quę licet habeant notam genitiui, ablatiuo, & præpoſitione, *E*, vel *Ex*, efferuntur.

Denaro d'argento,

Ex argento nummus.

Exemplum prioris generis ſit huiuſmodi;

L' amor di Dio.

Prefetto della Città.

Amor Dei.

Præfectus Vrbis.

Similiter adiectiua ſubſtantiuè poſita.

Molto di tempo.

Troppo di potenza.

Multum temporis.

Nimium potentiæ.

Troppo di vino.

Meno d'acqua.

Plurimum vini,

Minimum aquæ.

L'opaco della terra.

Telluris opaca,

L' anguſto delle ſtrade,

Anguſta viarum.

1 Nota nomina, quę habent inter ſe relationem hunc genitiuum vertere multoties in datiuum, cuius notam etiam admittunt.

Seruo di Lepido; ſeruo à Lepido.

Seruus Lepidi; & ſeruus Lepido.

2 Nota hæc eadem nomina ſubſtantiua, ſi referantur ad laudem, vel vitupera-

perationem, eundem Genitiuum mutare poſſe in Ablatiuum.

Huomo di gran conſeglio,

Vir maximi conſilij, & maximo conſilio.

Subſtantiua verò, quæ declarant munus, aut miniſterium, aut conditionem generis, cum ſexto caſu, & præpoſitione etiam conſtruuntur.

Famulus à ſecretis.

Seruus à manu, à cubiculo.

Adoleſcens ex illuſtri familia.

3 Nota ſubſtantiua nomina verbalia etiam adhibere caſus verborum, vnde orta ſunt.

Cic. *Iuſtitia eſt obtemperatio ſcriptis legibus.*

Plaut. *Quid tibi nos tactio eſt?* ideſt, *Quid nos tangis.*

Methodus conſtruendi Nomina Adiectiua cum Genitiuo.

Varia Adiectiuorum genera, quæ poſt ſe admittunt genitiui notas, *Di, Del, Della,* eundem genitiuum regunt poſt ſe.

Hùc referuntur Adiectiua copię, inopiæ, peritiæ, inſcitiæ, & ea, quæ terminant in, *Ax*;

Vt *Tenax ſententiæ.*

In, Dus, vt:

Auidus pecuniæ.

Quædam in, Oſus, vt:

 Stu-

Studioſus medicinæ.

In, Ius, vt

Anxius mortis.

In, Tus, vt

Contentus libertatis.

In, Arus, vt

Auarus laudis.

In, Sus, vt

Fuſus animi.

In, Ans, vt

Obſeruans ſilentij.

In, Ens, vt

Sitiens honorum.

Ex quibus adiectiuis multa hunc genitiuum in ablatiuum commutant, pro quibus conſulendus eſt vſus, Magiſter optimus, neque enim poſſunt inſtitui loci communes, quibus omnia contineantur.

Similiter hûc referuntur partitiua, & ea nomina, quæ partitionis rationem ſortiuntur.

Cic. *Quorum vterq; ſuo ſtudio delectatur.*

De Giouani il maggiore.

Iuuenum maior.

De' Poeti l' ottimo.

Poetarum optimus.

Molti degli Huomini.

Hominum plerique.

Plin. *Iſtarum arborum multæ. Volucrum animal parit veſpertilio tantum.*

Similiter referuntur numeralia, cardinalia, & diſtributiua.

Tres

Tres fratrum.
Octoginta Macedonum.
Diſcipulorum primus.
Hominum ſinguli.

Hùc referuntur ſuperlatiua, cùm ſit comparatio rerum multarum eiuſdem, vel diuerſi generis, quicquid dicant plerique Grammatici, modò habeant genitiui notam.

Cic. *Theophraſtus omnium Philoſophorum elegantiſſimus, & eruditiſſimus.*

Id. *Eo miniſtro non omnium bipedum, ſed etiam quadrupedũ impuriſſimo perdidit Rempublicam.*

Macrob. *Phalareus eis ſucceſſit ſenibus adoleſcens eruditiſſimus ille horum omnium.*

Id. *Age ſerui non adoleſcentum, qui tibi æquaui ſunt, ſed ſenum quoque omnium doctiſſimus.*

Qui genitiuus commutatur accuſatiuo, & præpoſitione, *Inter*, aut, *Ante*;

Cic. *Honeſtiſſimus inter ſuos.*

Id. *Longè ante alios acceptiſſimus.*

Aut etiam ablatiuo, & præpoſitione, *E*, vel, *Ex*, vel, *De*; quam commutationem admittunt etiam Partitiua, & numeralia.

Cic. *Audaciſſimus ex omnibus.*

Id. *Multa de ſuis rebus.*

Id. *Fuit vnus de Magiſtratibus.*

Methodus conſtruendi Adiectiua cum Datiuo.

VAria adiectiua conſtruuntur cum Datiuo dictionis ſequentis, quæ Datiui notam, *A*, *Al*, *Alli*, ante ſe habent.

Vtile alla Republica.
Atto alle ſcienze.
Vtilis Reipublicæ.
Idoneus ſcientijs.

Hùc genericè referuntur adiectiua, quibus acceſſio lucri, commodi, incommodi, voluptatis, gratiæ, ſignificatur.

Damnoſus,	Periculoſus,
Gratus,	Ingratus,
Benignus,	Feſtiuus,
Iucundus,	Humanus,
Suauis.	

Similiter adiectiua ſimilitudinis, æqualitatis, affinitatis.

Vt	Par	Impar	Similis
	Æquus	Æqualis	Affinis.
	Cognatus	Amicus.	

Quæ non rarò etiam genitiuo gaudent cum ſubſtantiuè capiuntur. Similiter adiectiua aptitudinis, & propenſionis, vt *aptus, idoneus, procliuis*, quæ datiuum frequentiùs commutant accuſatiuo cum *ad*, vel *in*.

Vt [Aptus ſtudijs,
Et ad ſtudia.

Si-

Similiter verbalia in, *bilis*, terminantia.

Vt [*Aſſabilis, amabilis omnibus.*

Et participalia in *Dus*;

Vt [*Omnibus memorandus dies*;

Similiter composita à *Con*;

Vt Concors Conformis Conſentaneus Congruus Coetaneus Coniunctus.

Methodus conſtruendi Adiectiua cum Accuſatiuo.

Adiectiua generalem menſuram ſignificantia, vt;

Latus Altus Profundus Longus Craſſus.

Subſtantiua certæ menſuræ frequentiùs in Accuſatiuo, rarò in puro Ablatiuo, rariſſimè in genitiuo ſibi aſciſcunt

Plin. *Vmbellicus ſeptem pedes longus.*

Id. *Longum ſexquipede, latum pede.*

Id. *Locum occupent decem pedum longum, latum quinque.*

Sic etiam.

Larga intorno à dieci piedi,

Ad decem pedes latam.

Quædam per circumlocutionem Accuſatiuum admittunt, vt *non ſum id neſcius.*

Methodus conſtruendi Nomina Adiectiua cum Ablatiuo.

VAria ſunt adiectiua, quæ poſt ſe Ablatiuum regunt, genericè tamen adiectiua laudis, & vitij, copiæ, & inopiæ, quæ etiam diximus Genitiuum admittere.

Cic. *Tubero fuit, vt vita, ſic oratione durus, incultus, horridus.*

Id. *Lyſias oratione locuples, rebus ieiunus.*

Similiter adiectiua proprietatis.

Vt [*Natione Italus.*
Genere nobilis.

Similiter adiectiua, quæ admittunt nomen efficientis cauſſæ, ſiuè partis.

Vt [*Pallidus metu.*
Contentus lætitia.

Mart. lib. 12. *Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus.*

Quem Ablatiuum partis Hiſtorici, & Poetæ figuratè per Synecdochem Accuſatiuo permutant.

Virg. *Os, humeroſque Deo ſimilis.*

Subauditur *ſecundum*, aut *circa*, aut quid ſimile.

Similiter Adiectiua Comparatiua, quæ habent notam comparatiui, *Più*; vel habetur comparatio duarũ rerum.

Cic. *Quis illo grauior in laudando, acerbior in vituperando?*

Siuè plurium diuerſi generis.

Maiora ſunt præmijs pericula.

Aut

1 Aut etiam aliquando eiuſdem generis.

Cunctis altior ibat Achilles.

Mart. *Natalis mihi maia Kalendæ.*

Lux formoſior omnibus Kalendis.

Qui Comparatiuorum Ablatiuus ſoluitur in, *Quam*, coniunctionem electiuam, & in quemuis caſum eiuſdem vocis comparatiuæ.

Vt [*Doctior Platone*, / *Doctior, quam Plato.*

1 Nota, Comparatiuum alterum etiam Ablatiuum eius dictionis admittere, quæ menſuræ exceſſum ſignificat.

Vt [*Multo doctior Socrate.*

Qui alter Ablatiuus nonnunquam etiam Superlatiuo eſt communis.

Catull. *Tanto peſſimus omnium Poeta,*

Quanto optimus omnium Patronus.

Hac eadem ratione Ablatiui;

Æquo Iuſto Dicto
Opinione Spe Solito
Nimio,

Adhærent Comparatiuo;

Vt [*Doctior opinione hominum*, hoc eſt [*quam, vt, quam quod, atque, ac homines opinentur.*

2 Nota Adiectiua, Participia, Aduerbia, quorum qualitas augeri aut diminui poteſt, exceptis pleriſque Adiectiuis, quæ habent vocalem ante, *us*, vt *Idoneus*.

Digitized by Google

Et eis, quæ terminant in, *bundus*, vt *ſitibundus*.

Quibus addito *Almus*, Comparatiuum, & Superlatiuum formare.

Vt [*Doctus, doctior, doctiſſimus.*
Amans, amantior, amantiſſimus.
Rectè, rectius, rectiſſimè.

Sic aliquando, leporis ergò.
Ipſe, ipſiſſimus.
Nero, neronior, neroniſſimus.

Methodus conſtruendi Adiectiua cum Ablatiuo, & Præpoſitione, A, vel Ab.

Adiectiua diuerſitatis, & ordinis.

Vt	Alienus	Diuerſus	Primus
	Varius	Alius	Secundus
			Tertius.

Aſſumunt poſt ſe ablatiuum addita præpoſitione, *A*, vel *Ab*;

Vt [*Diuerſus ab illo: Alter ab illo.*
Primus ab Homero: Secundus à Principe.

Similiter quædam Adiectiua incertæ claſſis.

Vt	Liber	Expers	Immunis
	Orbus	Extorris	Inanis
	Plenus	Potens	Securus
	Solutus	Vacuus	Solers.

Quorum plura & Genitiuo, & puro Ablatiuo gaudent.

Cic.

Cic. *Vacui, & expertes, ſoluti, ac liberi fuerunt ab omni ſumptu, moleſtia, ac munere.*

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Pronomina.

PRonomen ſic dictum, quod *loco nominis* ponatur, certius aliquid, quam proprium Nomen ſignificat.

Vel Demonſtratione,

Vt [Hic, Ipſe, Iſte, Ille.

Vel poſſeſſione.

Vt [Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter.

Vel reciprocatione,

Vt [Sui, Sibi, Se, Suus.

Pronomina demonſtratiua tripliciter ſolent conſtrui, Adiectiuè, vt

Hoc negotium.

Partitiuè.

Quis eſt ille Deorum.

Subſtantiuè.

Iſtud negotij: Iſtud temporis.

1 Nota modum latinè loquendi cum Pronomine, *Idem*, cui ſubijcitur, vel relatiuum, *Qui, Quæ, Quod*, vel coniunctio, *Et, Ac, Atque*.

Vt [*Luna eadem eſt, quæ Diana,* Vel, *&, ac, atque Diana.*

Pronomina poſſeſſiua adhibentur more Adiectiuorum, cum aliquid ſigni-

gnificamus nos habere in noſtra poſſeſſione.

Ager meus: Studium tuum: Domus noſtra.

Quæ poſſeſſiua eleganter poſt ſe admittunt genitiuos quorundam primitiuorum Pronominum, Adiectiuorum; Subſtantiuorum, Participiorum.

[*Tua mei obliuio.*
Noſtra ipſorum amicitia.

ex.g. [*Mea vnius, vel ſolius opera.*
Veſtra duorum laus.

[*Studium tuum Adoleſcentis.*
Labor meus docentis; hoc eſt, *qui doceo.*

1 Nota quędam eſſe nomina pathetica, hoc eſt, affectum animi indicantia ancipitis ſignificationis, vt

Caritas	Amor	Beneuolētia
Timor	Dolor	Deſiderium
Cura	Poteſtas	Vtilitas.

Quæ ſi paſſiuè accipiantur ſicuti nomina, quæ partem animi, aut corporis generalem denotant.

Vt [Aliquid
Pars   Dimidium

Genitiuos, Mei, Tui, Sui, Noſtri, & Veſtri, ſibi poſtulant.

Vt [*Deſiderium tui, quo tu deſideraris.*
Dimidium mei.

Quamuis hoc præceptum non ſit Scriptoribus perpetuum.

Terent. Heaut. *Facilè ſcires deſiderio id fieri tuo*, pro *tui*.

2 Nota, *Mei, Tui, Sui, Noſtri, & Veſtri* iungi Verbis, Participijs, Gerundijs, Adiectiuis, Subſtantiuis, quæ alias regunt Genitiuum.

Vt [*Mei te miſeret.* *Inflammandi tui cauſſa.*] [*Mei infœlicis.* *Præceptor amantiſſimus veſtri.*] [*Oblitus ſui.*] [*Mei ſimillimus.* *Æmulus noſtri.*]

3 Nota, *Noſtri*, & *Veſtri* quoties appoſitio pluralis ſequitur, aut eſt in oratione partitiuum, ſiuè numerale, ſiuè Comparatiuum, aut Superlatiuum cedere genitiuis in *Vm*;

Vt [*Contemptor omnium noſtrum.* *Me miſeret noſtrum omnium.*] [*Labor noſtrum duorum.* *Singulos veſtrum doceo.*] [*Minor veſtrum natu.*] [*Natu veſtrum maximus.* *Primus veſtrum.*]

Pronomen reciprocum ſic dictum, quod in primũ ſuppoſitum reflectatur

Vt [*Lepidus amat ſe;* *Indulget ſibi.*]

Cum autem Pronomen non ad ſuppoſitum verbi reſpicit, vtendum eſt Pronomine demonſtratiuo, vt

Cæſar prudentèr ei conſulebat.

Hoc reciproco, vel ſimpliciter, vel retranſitiuè vti ſolemus.

Vtimur ſimpliciter, cum à tertia per-

perſona fit egreſſio in ſe ipſam ;

Lepidus diligit ſe ,

Vt [*Obliuiſcitur ſui .*
Fauet ſibi , loquitur ſecum .
Scribit ſuo calamo .

Retranſitiuè vtimur , cum fit regreſſio à tertia perſona in ſe ipſam, aut cum actio alterius perſonæ reflectitur ad ſuppoſitum prioris verbi , vt

Lepidus metuit , ne ſibi noceas .
Rogatque , vt ad ſe venias .

Nota in hac ſecunda reciprocatione perſæpè adhiberi apud Scriptores pro Reciproco demonſtratiuum ; & contra , pro Demonſtratiuo reciprocum . Cic. ad Att. *Camillus mihi ſcripſit te cum eo locutum* , pro *ſecum* .

Id. *Priuſquam tu ſuum ſibi venderes, ipſe poſſedit: ſibi*, pro *ipſi* .

Nota cum actio tertiæ perſonæ tranſit in rem ad ipſam ſpectantem, vel à ſe poſſeſſam , vtimur Pronomine poſſeſſiuo , *Suus*. Sin autem poſſeſſio referatur, non ad perſonam primo loco poſitam , ſed ad perſonam poſitam ſecundo loco , vtimur demonſtratiuo , *Eius* , vel *Ipſius* .

Deus amat hominem propter bonitatem eius, hoc eſt, *hominis* .

Deus amat hominem propter bonitatem ſuam, hoc eſt, *Dei* .

Metho-

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Præpoſitiones.

PRæpoſitio ſic dicta, quia verbo, aut nomini *præponatur* circumſtantiam, ſiuè habitudinem rei indicat.

Præpoſitionum aliæ ſunt duntaxat componentes, quæ nec extra compoſitionem inueniuntur.

Vt [Dis Di Re
Se An Con.

Aliæ ſunt, quæ extra vſum compoſitionis receptæ ſunt, quarum triginta numero plus minus accuſatiuo præfiguntur.

Ad, Apud,	Ante, Aduerſus, *vel* Aduerſum,
Cis, Citra,	Circa, Circum, Circiter,
Contra, Erga,	Inter, Extra, Intra,
Infra, Iuxta.	Supra, Ob, Propter,
Per Pone,	Penes, Poſt, Præter.
Secus, Secundum.	Trans, Vltra, Vſque, Tenus.

Sexdecim Ablatiuo, quæ ſunt

A, Ab,	Abs, Abſque, Cum, Coram,
De, Ex,	E, Pro, Præ, Palam, Sine,
Tenus, Clam.	In, Sub, Super, Subter.

Sed *In, Sub, Super, Subter Clam, Coram* accuſatiuo, & ablatiuo alio, & alio mo-

modo iunguntur, cum ſignificant in loco, habent ablatiuum; cum ad locum, accuſatiuum. *Tenus* genitiuo etiam plurali gaudet.

Cic. *Rumores de comitijs cumarum tenus caluerunt*.

1 Nota ſi prępoſitiones poſponantur fieri aut aduerbia,

Vt [*Biennio poſt*. *Triennio ante*.

Aut poni figuratè per Anaſtrophē, vt *Hectora Circum*

Verſus tamē elegantiſſimè ſubijcitur, Vt (*Romam verſus*.

Vſque nunc præit, nunc ſequitur caſum,

Vt [*Vſque Puteolos venit*, vel *Romam vſque*.

Poſt etiam præpoſitum induit naturam aduerbij.

Liu. *Poſt paucis diebus*.

2 Nota præpoſitiones alijs præpoſitionibus aliquando præponi.

Vt [*In ante diem Kalendarum*. *Vſque ad Numantiam*. *A Brunduſio vſque*.

3 Nota verba compoſita ex prępoſitionibus ſępè caſus præpoſitionis componentis aſciſcere.

Plaut. *Acceſſi periculum*.

Cæſar. *Ne maior multitudo Rhenum tranſducatur*.

Vel iterata præpoſitione.

Antonius in Galliam inuaſit.

Metho-

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Aduerbia.

ADuerbium licet dictum ſit, quod *verbo adiaceat*, eiuſdemque ſignificationem determinet, vt

Benè dormit, qui parcè comedit.

Aliquando tamen non ad verbum, ſed ad aliam orationis partem refertur.

Ad nomen. *Egregiè minus.*

Ad participiũ. *Temere faciens omnia.*

Ad ipſum aduerbium. *Valdè manè, ſatis prudenter.*

1 Nota ſub Iudice adhuc litem eſſe, vtrum Aduerbium caſus regat naturaliter, an figuratè; nos aliorum diriтendam iudicio litem relinquentes ſic præcipimus.

Primò. Aduerbia demonſtratiua, *En, Ecce, Hem*, accuſatiuo, & nominatiuo adhærere.

Secundò. Aduerbia quantitatis, *Abundè, Affatim, Parum, Nimis* genitiuo, ſic etiam temporis, *Tunc, Nunc, Pridie, Poſtridie, Interea. Pridie*, & *Poſtridie* tamen etiam accuſatiuo; vt

Pridie Nonarum, Pridie Nonas.

Sic loci, *Vbi, Vbique, Quocunque, Quouis, Eo, Nuſquam, Longe, Locorum*, ſic *Inſtar, Adinſtar*, & *Ergo*, ſic Aduerbia ſuperlatiua, vt

Eloquentiſſimè omnium loquitur Cicero.

Ter-

Tertiò. Aduerbia nôminis aliàs da[t]
no gaudentis etiam datiuum exigere,
Congruenter, Conuenienter, Similite[r]
Obuiam.

Quarto. Aduerbia Comparationi[s]
caſus Comparatiui aſciſcere.

Doctiùs illo, Paullo plus, Pluſquam
triginta, vel ſuppreſſa particul[a]
plus triginta.

2 Nota dici *proximè*, *propius*, *pro[pè]*
Vrbi, Vrbem, vel *ab Vrbe*, & hæc ipſa
ſuperiora aduerbia, & multa alia di-
uerſorum generum ſine vllo caſu con-
ſtruuntur.

Methodus cognoſcendi, & con-ſtruendi Interiectiones.

INteriectio, ſic dicta, quod *interiacet*
cæteris partibus orationis: vox quæ-
dam incondita eſt, quę plenam aliquam
animi affectionẽ indicat, vel ſine verbo.

Vtpotè dolorē.	Hei Oh	Heu Ah	Eheu	*Ohimè.*
Exultationem.	Euge Oh	Io Ahe	Veh Euax	*O' buono.*
Admirationem.	Pape Age	Hui	*Cappari*	*Viua viua.*
Hortationem	Agedum		Agite	*Horsù*
Riſum.	Aa, ha, he, he		Au	

Silen-

ilen-ium.	St . . .	Si		*Zitti.*
Excla-natio-nem.	Proh	Oh		
ndi-natio em.	Appage	Appageſis		*Leuati dauanti.*
	Nefas	Indignū	Malum.	*Che razza.*

Ex quibus, *O*, cum Nominatiuo, Ac-cuſatiuo, & Vocatiuo conſtrui poteſt.

Eheu, & *Proh* cum Accuſatiuo, & Nominatiuo.

Euge cum Vocatiuo.

Heu, Veh, Ah, Hei, cum Datiuo *Hei* tiam cum Nominatiuo.

Methodus cognoſcendi, & conſtruendi Coniunctiones.

Coniunctio, vt nomen ipſum indicat, eſt vox quædam, quæ claulas in ſermone, atque oratione connectit, & ordinat. Eius varię conſtituuntur ſpecies, ſed nos hic aliquas adnotabimus, de quibus præſcribi aliqua conſtructio poteſt.

Prima ſpecies eſt copulandi.

Et, Ac, Què, Atque.

Secunda diſiungendi.

Vel, Siuè Seù, Aut.

Quæ dictiones in ſimili caſu, niſi ipſa ictio neceſſario ſit alio caſu efferendae onnectunt.

Vir bonus, & ſapiens.
Aut Deo, aut mundo ſeruiendum.
Fui Romæ, & Venetijs.

Huc adde etiam, *Præter*, aptum aliquando iungẽdis caſibus Colum. lib. 3. cap. 2. *Omnis incommodi patientes Rubellianæ vites præter caloris*. Saluſt. *Multitudini licet ab armis diſcedere, præter rerum capitalium condemnatis*.

Tertia aduerſatiua.

Etſi	Quamquam	Tametſi
Etiamſi	Quamuis	Licet.

Tres primæ principio orationis ſeruiunt Indicatiuo; in medio etiã Subiunctiuo, tres vltimæ tantum Subiunctiuo.

Quarta conditionalis.

Si, Niſi, Modo, Dummodo.

Seruiunt frequentiùs Subiunctiuo, aliquando, & Indicatiuo.

Quinta rationalis.

Quod, Quia, Quare, Ergo, &c.

Vtroque modo iunguntur, & Subiunctiuo, & Indicatiuo.

Sexta affirmatiua.

Quippequi, Vtpotequi, Vtqui, &c. Subiunctiuo gaudent.

Ne, interrogans vtroque modo, negans Subiunctiuo duntaxat iungitur.

Atque hæc præcepiſſe ſatis de recta conſtructione octo partium latinæ orationis, quæ ſi cui non ſatis videbuntur, fontes adeat Grammaticorum.

ME-

METHODVS FIGVRATÆ CONSTRVCTIONIS.

FIgura modus quidam loquendi eſt à vulgata conſuetudine alienus, quæ aliquando vitiat orationem; æque ac perſæpè exornat. Huius generis ſunt.

Enallage, ſiuè Heteroſis, latinè permutatio, quia mutat inuicem partes orationis, vel attributa partium, vt:

Ipſum viuere turpè eſt: viuere *pro vita*.

Plaut. *Innata cuique, vt magis gaudeant*; pro gaudeat.

Eclypſis, latinè, defectio; quia quod deeſt orationi, quærit foris, vt:

Ad Martis mira proluuies, hoc eſt, ad templum Martis.

Zeuma, latinè, adiunctio, quia adiungit ex propinquo, quod orationi deeſt, vt:

Nulla poſſeſſio, nulla vis auri pluris, quam virtus æſtimanda eſt.

Silepſis, latinè conceptio, quia mutatis partium attributis concipit à viciis, quod orationi deeſt.

Ille timore, ego riſu corrui.

Prolepſis, latinè, præſumptio, quia præ-

præſumit ex genere, quod non explicacatur in partibus, vt:

Duo Conſules perierunt; alter morbo, alter ferro.

Arcaïſmus, latinè, Antiquatio, quia priſcæ vetuſtatis loquelam continet reijciendam, vt:

Plaut. *Nobis præſente*, pro præſentibus.

Abſente nobis quid turbatũ eſt domi!

Helleniſmus, ſiuè græciſmus græcam latinæ conſtructionem commodat, vt:

Triſte Lupus ſtabulis; pro triſtis.

Eo viſere; pro viſum.

Cuius figuræ modos plures vſu doceberis,

De Vitijs Conſtructionis.

DVo potiſſimum ſunt vitia conſtructionis; *Solaciſmus*, *Barbariſmus*.

Solaciſmus contextum totius orationis corrumpit, vt:

Cicero venit Brundusij.

Barbariſmus dictionem fœdat, vt:

Reſpopondi.

In illo voces omnes ſunt latinæ, ſed malè connexæ, vt *Cœli ſunt rotunda.*

In iſto dictio eſt peregrina, aut latina quidem, ſed corrupta, vt *Cœla ſunt aperta*:

Barbariſmum tamen excuſat *Metaplaſmus*, ſi transformatio hæc conſilio, & exemplo, aut ordine adhibeatur.

Ter. *Vbi eſt ille ſcelus, qui me perdidit?*

Hy-

Hyperbaton, inuertit etiam vſitatæ conſtructionis ordinem, ſed ſi ſine perturbatione ſententiarum, claritatem parit, vt:

Cic. *Omnem accuſatoris orationem in duas video diuiſam eſſe partes.*

Cuius ſpecies prima eſt

Anaſtrophe duorum verborum præpoſitio, vt:

Qua de re, Quamobrem: mecum, tecum, &c.

Thmeſis, quæ iunctum verbum diuidit interiecta particula, vt:

Per mihi gratum feceris.

Res verò publica.

Parentheſis, interiectio alicuius breuis ſententiæ in media oratione, vt:

O præclarum cuſtodem ouium (vt aiunt) lupum.

De Vitijs Orationis.

DEturpant orationem primo *Cacophaton* obſcœnum dictum, aut nimius vocalium concurſus.

Tapinoſis depreſſio rei dignæ, vt:

Regulus, pro Rege.

Tautologia importuna verborum iteratio.

Ibant, qua poterant, qua non poterant, non ibant.

Macrologia, longior ſermo, quam par ſit, vt;

Domum redeunt, vnde venerant.

Pleonaſmus vocum redundantia, vt *Hiſce Auribus audiui*.

Homoeteleuton inconcinna vocum exeuntium ſimilitudo, vt;

Flentes, gementes, dolentes, lacrymantes.

Methodus breuiſſima Interpunpungendi.

TRia ſunt, quæ diſtinguunt orationem.

Comma, Colon, Periodus.

Comma, latini Articulum vocant, ſeù virgulam: eſt ſemicirculus inuerſæ figuræ (,) nullam aliam vim habet, quã faciendi tenuiſſimam diſtinctionem, ſiuè coniungendo, & copulando, ſiuè diſtinguendo, & diſiungendo, cum leuiter adumbrata, non expreſſa, neque concluſa ſententia eſt, vt: *propter tuam erga me beneuolentiam, & meam in te obſeruantiam, & communia noſtra ſtudia, rogo te.*

Nimius vſus articulorum parit obſcuritatem; atque adeò ſatius eſt vnam, aut alteram omittere, quam orationem confundere, maximè cum particulæ coniunctiuæ, & diſiunctiuæ frequentantur, quæ commatum vicem gerere poſſunt.

Colon, ſeù membrum duplex punctum eſt (:) quo ſententia concluditur, ſed orationis quaſi gyrus, & orbis non exple-

pletur: Vno enim ſpatio confecto, & priori parte abſoluta regreditur ad explendum ordinem, vt *Vnum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: Alterum, quod poſitum eſt in præceptis.* Quod ſi non dimidiet, & ſit ſuſpendenda oratio, adhibetur virgula cum puncto (;) Membrorum vſus frequens eſt ante particulas rationales, & aduerbia comparationis, poſt Protaſim aut Antapodoſim.

Periodus, ſeù circuitus Punctum vnum, & ſimplex eſt, quo abſoluta orationis ſententia, ac perfecta continetur, vt: *Si quid turpe feceris cum voluptate, voluptas abit, turpitudo manet. Si quid honeſte feceris cum labore, labor abit, honeſtas remanet.*

Apoſtrophe eſt nota eiectæ vocalis, vt. (*men'*) *men' rogas?* Quæ ante litteram, cui dempta eſt vocalis, collocatur.

Nota Interrogationis eſt virgula obliqua pũcto ſuperimpoſita, vt *quorſũ hæc?*

Nota Admirationis eſt virgula ſuper punctum ducta ad perpendiculum, vt *me miſerum!*

Parentheſis duobus ſemicirculis aliquid includit, vt *Ouem Lupo* (*vt aiunt*) *commendaſti.*

DE KALENDIS. Nonis, & Idibus.

VSus obtinuit apud humaniorum litterarum profeſſores, vt per

Kalendas, Nonas, & Idus dies in Epiſtolis adnotetur: de quibus ſatis oretenus: ſed ne memoria decidant, accipite breuiter commiſſa Scripturæ.

Veteres latini ſingulis menſibus ternas ſolemnitates peragebant, quarum prima primo cuiuſque menſis die peragebatur à conuocatione totius populi dicta *Kalendæ*.

Secunda agebatur die quinto, ſed in menſibus vocula *immò*, contentis *Martio, Maio, Iulio*, & *Octobri* ſeptimo die, dicta Nonæ, quod nouem dies ſupereſſent ad tertiam ſolemnitatem.

Tertia, quæ dicebatur Idus ab *iduando*, hoc eſt diuidendo menſe, agebatur decimo tertio die, & præfatis menſibus decimo quinto.

Scribentes igitur Epiſtolam in aliquo die ſolemnitatum dicebant *Kalendis, Nonis, Idibus*. In die verò ſolemnitatibus proximiori: *Pridie Kalendas, Nonas, Idus*, hoc eſt primo die ante Kalendas.

Reliquis autem diebus adnumerabant ab eo die incluſiuè, in quo ſcribebant, vſque ad futuram ſolemnitatem, & diem, in quem numerus incidebat per numerum ordinalem & ſexto caſu efferebant: ſolemnitatem verò quarto ſubaudita præpoſitione *ante*; ex. g. *à ſecunda die Iunij, vſque ad* quintam incluſiuè intercedunt quatuor dies; igitur ex præfata regula ſcribendum eſt; *Quarto Nonas Iunij*: hoc eſt *quarto die ante*

No-

Nonas, vel *ad quartum Nonas*; ideſt *ad quartum diem ante Nonas*. Hæc eadem ratio ſeruanda eſt in cæteris diebus aſſignandis.

METHODVS
COGNOSCENDI
SYLLABARVM
Quantitatem.

QVANTITAS Syllabarum, quæ ex litteris conſtant, pedes varios ingreditur, de quibus ſuo loco, ſicut de Verſibus, qui ex Pedibus.

Litteræ ſunt minimæ partes dictionis, dictæ à *lituris*, quæ diuiduntur in Vocales, & Conſonantes.

Vocales dicuntur, quia per ſe vocem faciunt, & ſunt numero quinque A E I O V, ex quibus totidem Diphtongi naſcuntur Æ, vt *præmium*; Au, vt *aurum*; Eu, vt *euge*; Ei, vt *queis* Oe vt *Cœlum*. Sed I, & V vocalibus præpoſitæ cùm eas comprimunt, habent vim conſonantis, vt *vox viuo iaceo iuro*.

Conſonantes, ſic dictæ, quia cum

Vocalibus conſonant, diuiduntur in Mutas, & Semiuocales.

Semiuocales dictæ, quia à quaſi media vocali incipiunt, & deſinunt in conſonantem, ſunt numero octo F, L, M, N, R, S, X, Z, ex his quatuor dicuntur *liquidæ* L, R, M, N; quia in pronunciatione videtur liqueſcere, & amittere vim conſonantis. Duæ vltimæ X, Z, dicuntur duplices; ſicut etiam I, inter duas vocales, quia vim duarum conſonantium habent.

Mutæ numerantur item octo B, C, D, G, K, P, Q, T, ſic nominatæ, quòd per ſe vocem non habeant, & deſinunt in Vocales. Nunc ad quantitatis præcepta.

Si vocalis vocalem ſubſequatur, breuis eſt, vt *Deus omnia Pius*.

1 Excipe *fio* ni ſequatur *r*, vt *fiebam*.

2 Genitiuos quintæ declinationis, cùm *e* interiectum eſt inter duas vocales, vt *diei ſpeciei*.

3 Vocatiuum in *ei* à nominibus in *ius*, vt *Pompei*, *Cai*.

4 Interiectionem *ohe* varia, ſicut etiã genitiuos in *ius*, vt *vnius illius* excepto *alterius* sẽper breui, & *alius* sẽper lõgo.

Diphtongus ſemper producitur, vt *Cœlum, Melibæus, Menſæ*.

1 Variatur *præ* ſequente vocali, vt *præit*.

Si poſt vocalem ſequantur binę conſonantes, ſyllaba dicitur longa poſitione vt *tellus Metellus cadunt*.

Si

Si autem ex conſonantibus prima erit muta, altera liquida vocalis antecedens natura breuis, variabitur, vt *lacrima*, *tenebræ*.

Præpoſitiones monoſyllabæ componentes *a*, *e*, *de*, *pro*, *cis*, *di*, *ſe* longæ ſunt; breues verò *ad*, *ab*, *in*, *ob*, *ſub*, *per*, *re*.

Præterita, & Supina duarum ſyllabarum habent primã longam, vt *veni*, *vidi*, *vici*, *viſum*, *motum*, *luſum*.

1 Excipe à præteritis *bibi*, *dedi*, *fidi*, *ſcidi*, *ſteti*, *tuli*.

2 A Supinis *datum*, *itum*, *citum à cieo es*, *ſitum*, *ſatum*, *litum*, *ratum*, *rutum*, *quitum*.

Præterita, quæ geminant primam ſyllabam, vtramque corripiunt, vt *didici*, *tetigi*, *peperi*.

1 Excipe a cædo *cecidi*, à pedo *pepedi*.

Deriuata Primitiuorum quantitatem habent, ſicut Compoſita Simplicium, vt ab amo *amans*, *amator*, *amor*, *amicus*; à lego *perlego*, *diligo*. Quæ excipiantur ab hac regula, vſu, & obſeruatione melius addiſcentur.

Incrementa Nominum, & Verborum faciliùs accentu, & obſeruatione cognoſci poſſunt, quàm multiplici, & propè inutili præceptione.

Vltimæ Syllabæ terminatione litterarum poſſunt agnoſci cuius ſint quantitatis.

A finita producuntur, vt *ama*, *memora*.

1 Excipe *ita, poſtea, quia, antea, eia*, cum omnibus caſibus præter Ablatiuum, & græcum Vocatiuum.

E finita breuiantur, vt *ſermone patre*.

1 Excipe caſus quintæ declinationis, vt *die, ſpecie*.

2 Græca nomina primæ declinationis, vt *Grammatice, Muſice, Anchiſe*.

3 Aduerbia à nominibus ſecundæ declinationis, vt *recte, ſancte*, præter *male*, & *bene, fere, ferme*.

4 Monoſyllaba *me, te, ſe, ne* negatiuum.

5 Verba ſecundæ coniugationis, vt *doce, tace*; cõmunia tamẽ *vide, vale, caue*.

I finita longa ſunt, vt *domini tempori*.

1 Excipe græca quintæ declinationis, vt *Palladi, Daphni*, & *cui* monoſyllabum.

2 Niſi, quaſi, mihi, tibi, ſibi, vbi ſunt comunia, ſed *vbique*, & *ibidem* longa.

O finita variant, vt *amo, lego, ſermo*.

1 Excipe monoſyllabam, vt *do, ſto*.

2 Datiuos, & Ablatiuos, vt *illo, tuo, domino*,

3 Aduerbia è nominibus orta, vt *ſubito, crebro, adeo, modo* tamen cum compoſitis *amodo, dummodo, imò, cito, ſerio, duo* corripiuntur vt plurimum.

V finita abſque exceptione longa ſunt, vt *manu, penu, memoratu*.

B. D. T. corripe ſemper vt *Iob, Dauid, Caput*.

C longum eſt, vt *hoc, ſic, huc*.

1 Excipe *nec, donec*. varia *fac*, & *hic* pronomen.

L corripitur, vt *mel, fel, cōſul, Annibal*.

1 Excipe *nil, ſal, ſol*, & peregrina, vt *Michael, Raphael*. *Pol* varium eſt.

N corripitur, vt *lumen, nomen, omen*.

1 Excipe græca ſcripta per Omega, vt *Pelion, Ilion*.

2 Caſus primæ declinationis, vt *Muſi cen, Grammaticen*.

3 Monoſyllaba latina *non quin*, *an*, & *in* corripiuntur.

R in fine breuiatur, vt *mater*, *pater*, *puer*.

1 Excipe monoſyllaba *par, cur, far, fur*, ſed *cor* varia.

2 Nomina græca, vt *aer, æther*.

3 Quæ creſcunt in *e* longa in obliquis, vt *crater, ſoter*.

As, Es, Os finita longa ſunt, vt *muſas, æneas, ſermones, anchiſes, multos, dominos*.

1 Excipe *as*, cuius genitiuus creſcit in *adis* breue, vt *Pallas Palladis*, *Arcas Arcadis*.

2 Accuſatiuos græcos, vt *Dæmonas Heroas*.

3 Es tertiæ declinationis, cuius genitiuus corripit incrementum, vt *diues diuitis*, *miles militis*; præter *ceres*, *paries, abies, locuples*, *pes* cum compoſitis; vt *bipes, tripes*.

4 Caſus græcos plurales, vt *Troes*, *Tita-*

Titanes, Arcades.

5 Es de *ſum* cum compoſitis, vt *potes ades*.

6 Os in *compos, impos, os, oſſis, exſos, exoſſis*.

Græca per *omicron*, vt *argos, epos, delos pallados*.

Is, Vs, breuia ſunt, vt *amnis, legis, ſanguis, Deus, tempus, lectus*.

1 Excipe plurales caſus, vt *muſis, Dominis*.

2 Secundas perſonas quartæ coniugationis primi temporis numeri ſingularis, vt *audis, ſentis*.

3 Quibus adde *velis* cum compoſitis *malis, nolis*, & *vis*; tàm nomen, quàm verbum.

4 Omnia, quę creſcunt in obliquis, vt *ſalamis ſalaminis, glis gliris*.

5 Caſus plurales quartæ declinationis, vt *ſenſus, viſus*, & genitiuos ſingulares eiuſdem.

6 Monoſyllaba, vt *thus, rus, mus, ſus*.

7 Quæ creſcunt in obliquis longa ſyllaba, vt *virtus virtutis, tellus telluris, ſalus ſalutis*.

8 Nomina, quorum vocatiuus exit in *u*, vt IESVS, cui ſit ſemper honor, & gloria.

De Figuris dimenſionis.

INter Figuras, quæ ad ſcanſionem verſus ſpectant, numerantur

Dioe-

Diœreſis	Synęreſis
Ecthlipſis	Synalephe
Protheſis	Aphereſis
Epentheſis	Syncope
Paragoge	Apocope
Ectaſis	Syſtole

Antitheſis.

Diœreſis vnam ſyllabam in duas diuidit, vt *aulai* pro aulæ, *diſſoluo* pro diſſoluo.

Synereſis contrà duas in vnam contrahit, vt *Di* pro dij *Abiete* pro Abiete.

Ecthlipſis elidit litteram *m* cum vocali præcedente, ſubſequenti altera vocali alterius dictionis, vt

Tectum auguſtum ingens, centum ſublime columnis.

Synalephe intercipit vocalem, aut diphtongum propter vocalem ſequentem, vt:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena.

Protheſis addit litteram initio dictionis, vt *gnatus* pro natus.

Aphereſis contrà aufert, vt *ruit omnia latè* pro eruit.

Epentheſis addit litteram in medio, vt *Nauita de ventis, de bobus narrat arator*, pro Nauta.

Syncope contrà tollit, vt *caput obiectare periclis* pro periculis.

Paragoge addit litteram in fine, vt *accingier armis*, pro accingi; *deludier aſtu* pro deludi.

Apocope contrà demit, vt *cura peculi* pro peculij.

Ectaſis, ſeù Diſtole extendit ſyllabam natura breuem vt *Exercet Diana choros*.

Syſtole contrà corripit natura longam, vt *Septem tulerunt faſtidia menſes*.

Antitheſis ponit litteram, pro littera, vt:

Igneus eſt olli vigor, & caleſtis origo; pro illi.

DE PEDIBVS.

Simplices.

PYrrichius	Deus	*b b*
Trochæus, qui etiam Choreus.	Solus	*l b*
Iambus	Parens	*b l*
Spondæus	Verax	*l l*
Tribrachys	Dominus	*b b b*
Dactylus	Vnicus	*l b b*
Amphibrachys	Benignus	*b l b*
Anapæſtus	Patiens	*b b l*
Bacchius	Tacentes	*b l l*
Creticus, vel Amphimactus	Excitans	*l b l*
Antibacchius	Solamen	*l l b*
Moloſſus	Oppreſſis	*l l l*

COMPOSITI.

PRoceleuſmaticus	Reticuit	*b b b b*

Pæon

Pæon primus	Viue pius	l bbb
Pæon ſecuddus	Tene modum	bl bb
Pæon tertius	Petit vmbrã	bb l b
Pæon quartus	Mala gerens	bbb l
Ionicus maior	Viuens bene	ll bb
Ionicus minor	Amat auras	bb ll
Ditrochæus	Vitet iram	lb lb
Dijambus	Timens nefas	bl bl
Choriambus	Multa ſenex	lb lb
Antipaſtus	Videns diſcit	bl lb
Epitritus primus	Volant horæ	bl ll
Epitritus ſecũdus	Currit ætas	l b ll
Epitritus tertius	Curas leua	ll bl
Epitretus quartus	Vitæ finis	ll l b
Diſpondæus	Præſto mors eſt	l l l l

Eſt & alius pes quinque ſyllabarum oratoriæ compoſitioni maximè appoſitus, quem *Dochimum* vocant, conſtat Iambo, & Amphimacro vt *perhorreſcerent* de quo in Rhetoricis noſtris.

DE VERSVVM GENERIBVS.

HEXAMETER.

Verſus Hexameter ſex conſtat pedibus, primis primis quatuor indifferentibus; Dactylis, vel Spõdeis, quintꝰ Dactylo, ſexto Spondeo. Si-

Siceli . des mu . ſæ pau . lo ma. iora ca . namus.

PENTAMETER.

PEntameter quinque conſtat pedibus, primis duobus Dactylis, vel Spondęis, adiuncta Syllaba longa, quæ Cæſura, vel Semipes dicitur, cæteris duobus ſemper Dactylis, adiuncto etiã ſemipede, qui cum altero quintum pedem facit, vt

Nil mihi . reſcri . bas . attamen . ipſe ve . ni.

ASCLEPIADEVS.

ASclepiadeus ab Aſclepiade Inuentore, quatuor conſtat pedibus, Spondæo, Dactylo, & Cęſura, tum duobus Dactylis, vt

Mecæ . nas ata . vis . edite. Regibus.

GLYGONIVS.

GLyconius à ſuauitate verſus ita dictus, conſtat tribus pedibus, Spondæo, ac duobus Dactylis, vt Horat. od 3.

Sic te. Diua po . tens Cypri.

Quamuis apud Boetium, & Catullum pro Spondæo Trochæum, & Iambum inuenio.

ARCHILOCHIVS

DActylicus ab Archiloco inuentus ſeptem conſtat pedibus, primis quatuor indifferenter Dactylis, vel Spõdæis (quamquam quarta ſede Dactylus eſt

eſt frequentior) deinde tribus trochæis, vt id. od. 4.

Soluitur . acris hy . ems gra . ta
ta vice . veris . et fa . uoni.

ARCHILOCHIVS

IAmbicus, quem pariter Archiloco Auctori tribuunt pentameter eſt hipercatalecticus, quia conſtat quinque pedibus cum cæſura: pedibus inquam Iambicis, quamuis locis imparibus poſſit Spondęos recipere; id. od. 4.

Trahunt . quæ ſic . cas ina . chinæ . cari . nas.

Non me latet alios aliter hos verſus dimetiri, vt primus pes ſit Iambus, aut Spondęus; deinde Iambus cum Cæſura, tum tribus Trochæis, vt

Trahunt . que ſic . cas machi . næ ca . rinas.

PHERECRATIVS

A Pherecrate Poeta dictus tribus pedibus conſtat, Spondæo, Dactylo, & Spondæo, vt id. od. 5.

Grato . Pyrrha ſub . antro.

Licet pro primo Spondęo Catullus, & Boetius Trochęo, & Iambo vſi fueint, immò & Anapeſto, vt Boet. lib. 2. metr. 2.

Satis ar . deſcit ha . bendi.

ALCMANIVS

DActylicus, vel etiam Archilochius ab Inuentoribus conſtat quatuor pedibus, primis, duobus Dactylis, vel Spondęis indifferenter, penultimo Dactylo,

ctylo, vltimo Spondæo more heroic verſus, vt id. od. 7. lib. primo.

Aut Ephe . ſi bima . riſue Co . rynthi

ARISTOPHANVS

TRrocaicus ab Ariſtophane Inuentore dictus, conſtat tribus pedibus, Dactylo, & duobus Trochæis, vt id. od. 8. lib. 1.

Lydia . dic per . omnes.

Nonnulli aliter vt Anacreontium dimetiuntur per Trocheum, ac duos Iambos cum Cæſura ex. gr.

Lydi . a dic . . per o . mnes.

Trochaicus, quamuis alij à genere pedum Coriambicum vocant: ſi primo modo dimetiatur, conſtat ſex pedibus cum Cæſura, hoc nempe ordine: Trochæo, Spondæo, Dactylo cum Cæſura, tùm Dactylo, ac duobus Trochæis, vt id. ibid.

Te De . os o . ro ſyba . rim.
cur prope . res a . mando.

Si ſecundo modo verſus eſt Tetrameter, & conſtat ex pede Epitrito, duobus Coriambis, & Bacchio, v. g.

Te Deos o . ro ſybarim . cur
properes . amando .

ALCAICVS

DActylicus, quem alij Hendecaſyllabum vocant, habèt quatuor pedes cùm Cęſura èo ordine, vt primus ſit Iambus, aut Spondæus, ſecundus Iambus cum Cæſura, ac duobus Dactylis, vt id. lib. 1. od. 9.

Vi-

Vides . vt al . ta . ſtet niue .
candidum .

ARCHILOCHIVS

IAmbicus dimeter hipercatalecticus, conſtat quatuor pedibus cum Cæſura; in prima, & tertia ſede Iambo, vel Spondæo; in reliquo Iambo dumtaxat, & Cæſura in fine, vt id. ibid.

Syluæ . labo . rantes . gelu . que.

ALCAICVS

SIuè vt alijs placet Alcmanicus ab Auctore Alcmano Dactylicus conſtat pariter quatuor pedibus, nẽpè duobus Dactylis, totidemque Trochæis, vt id. obid.

Flumina . conſtite . rint a . cuto.

ALCAICVS

ALter Dactylicus, ſiuè, vt alij placet Coriambicus: Si Dactylicum nominemus, conſtat quinque pedibus cum duabus Cæſuris, nempè Spondęo, deinde Dactylo cum Cæſura, totum altero Dactylo cum Cæſura, poſtremò duobus Dactylis, vt id. lib. 1. od. 11.

Tu ne . quæſie . ris ſcire ne fas .
quem mihi . quem tibi .

Si Coriambicũ, aliter dimetiri oportet, primo Spondæo, tùm tribus Coriambis, & vltimo Iambo, hoc pacto:

Tu ne . quæſieris . ſcire ne .
fas . quem mihi . quem tibi .

EVRIPIDEVS

TRochaicus ab Euripide ſic dictus; alij tamen Iambum Archilochiũ

vo-

vocant. Si primo modo accipiatur, conſtat tribus Trochæis cum Cæſura, vt Horat. lib. carm. 2. od. 18.

Non e . bur ne . que aurē . um.
Non tra . bes Hy . metti . æ.

IONICVS

A Pede Ionico minore dictus; dicitur etiam trimeter, quia tribus Ionicis pedibus conſtat, vt id. lib. 3. od. 12.

Miſerarum . neque Amori .
. dare ludum .

Cui metro tertio quoque loco additur alter Ionicus Tetrameter, qui conſtat quatuor pedibus ſimiliter Ionicis, vt:

Simul vnctos . Tyberinis . humeros la . uit in vndis.

ARCHILOCHIVS

DActylicus, qui conſtat extrema parte Pentametri: ideſt duobus Dactylis, cum Cæſura, ideò etiam dicitur Penthemimeris pentametrica, vt id. lib. 4. od. 7.

Arbori . buſque co . mæ.

Hic verſus Hexametro ſubijcitur, vt ibidem videre eſt.

Mutat . terra vi . ces et . decre . ſcentia . ripas
Flumina . prætere . unt .

IAMBICVS

TEtrameter Archilochius conſtat quatuor, vel puris Iambis, vel locis imparibus pro Iãbo poſito Spõdęo, aut Dactylo, aut Anapeſto Hor. epod. 1.

Ami-

Ami . ce pro ⁝ pugna ⁝ cula ⁝

IAMBICVS

SEnarius, quia aut ſex puris Iambis conſtat, vt id. Hor. lib. Epod. od. 2.

Bea . tus il . le qui . procul . nego . tijs,

Aut locis imparibus appoſito Spondæo, vt id. lib. Epod. od. 1.

Ibis . libur . nis in . ter al . ta na . vium.

ARCHILOCHIVS Sapphicus

IAmbicus, qui conſtat ex Archilochio Dactylico, & Iambo tetrametro: hoc nimirum ordine: vt duo Dactyli præcedant cum Cæſura; tum Iambicus tetrameter ſubſequatur, vt Horat. l. Epod. od. 11.

Scribere . verſicu . los . amo . re per . culſum . graui.

Quidam aliter dimetiuntur, & ex vnico verſu duos conſtituunt, primum Archilochium Dactylicum, vt

Scribere . verſicu . los.

Secundum Iambicum dimetrum, vt

Amo . re per . culſum . graui.

Quidam adhuc aliter per Trocheos poſita Cæſura vltimo loco, vt:

Scribere . verſicu . los a . more . percul . ſum gra . ui.

ARCHILOCHIVS

Ambodactylicus verſus fiet, ſi antedictum metrum inuertas, & Iambicus Dactylo præcedat, vt idem Horat. id. od. 13.

Tu vi . na Tor . quato . moue
Conſule . preſſa me . ro ,

Hæc ſunt vnde ſupraviginti genera metrorum , quibus in Odis vſus eſt Horatius . Huc in veſtram gratiam annectam quædam alia metra à Catullo, & Boetio vſurpata .

PHALEVCIVS

COnſtat quinque pedibus , primo Spondæo , aut Iambo , aut Trochæo, tum Dactylo, deinde tribus Trochæis, vt Catull. Epig. 1.

Cui do . no Lepi . dum no .
uum li . bellum .

Habet cum Sapphico affinitatem, ad cuius regulam formari poteſt, vt

Cui nouum dono Lepidum
libellum .

GALLIAMBICVS

QVem Galli Sacerdotes canerent , conſtat ſex pedibus, Anapæſto , aut Spondæo, duobus Iambis , duobus Dactylis, & Anapæſto,vt idem Catull.

Super al . ta ve . ctus A . tys cele .
ri rate . maria .

ASCLEPIADEVS Scazon

SIc nuncupatus ob claudicationem , conſtat quatuor pedibus , prima ſede Spondęo, aut Dactylo, ſecunda ſede Dactylo , ſeù Spondæo cum Cęſura,poſtremò Dactylo cum Spondæo, vt Boet. lib. 1. metr. 20.

Heu quam . pręcipi . ti .
merſa pro . fundo .

DA-

DImeter, quem alij Alcmanicum etiam dicunt conſtat quatuor pedibus, omnibus ferè Dactylis, vt Boet. lib. 1. metr. 3.

Lumini . buſque pri . or reci . dit rigor .

Excepto quarto loco, in reliquis locis poteſt pro Dactylo recipere Spondæum. *ANAPÆSTICVS*

HIpercatalecticus conſtat tribus dedibus cum Cæſura, qui pedes Anapęſtici ſunt, prima tamen ſede Spõdæum recipit, & ſecunda quandoque, vt Boet. lib. 2. metr. 5.

Felix . nimirum , prior æ . tas.

ALCHAICVS

DImeter Scazon ſic dictus, quod cum conſtet qnatuor pedibus, tribus primis Dactylis, quarto loco pro Dactylo, aut Spondęo Iambum recipiat, vt B oet. lib. 3. metr. 1.

Qui ſere . re ingenu . um volet . agrũ.
Liberet . arua pri . us fruti . cibus.

ALCMANICVS

DActylicus Hipercatalecticus cõſtat tribus pedibus cum Cæſura, pedibus ſcilicet Dactylis, aut Spondæis, vt Boet. lib. 3. metr. 6.

Vnus e . nim re . rum pater . eſt.
Ille de . dit Phoe . bo radi . os.

ANACREONTICVS

IAmbicus, qui conſtat tribus pedibus cum Cęſura; primus pes eſt Ana-

napęſtus,duo ſequentes Iambi,vt Boet. lib.3. metr. 7.

Habet o . mnis hoc . volu . ptas.

ALCMANICVS

TRochaicus dimeter conſtat quatuor Trochæis, receptis quandoque Spondęis, aut Dactylis in locis paribus,vt Boet. lib.4. metr.2.

Quos vi . des ſe . dere . celſo .

SAPPHICVS

ADonicus, quod videatur mixtus ex vtroque metro: conſtat enim quatuor pedibus, & ſemipede: hoc ordine: primo Trochæo, tùm Spondæo cum Cæſura, deinde Dactylo, & Spondęo, vt Boet. lib. 4. metr.5.

Si quis . Arctu . ri . ſydera . neſcit.

ALCAICVS

TEtrameter Iambicus conſtat pariter quatuor pedibus,duobus Iambis cum Cæſura, tertio Dactylo, vltimo Spondæo, vt id. ibid.

Propin . qua ſum . mo . cardine . labi .

Hactenus ex Catulli, & Boetij lyra. adhuc quędam genera ex Centimetro Seruij ſuppeditantur, quorum cognitio latere vos minime debet, &

TRINICVS

AB Auctore ita dictus, qui conſtat duobus anapeſtis, prima tamen ſede Spondæum, vel Iambum non recuſat, vt

Calidum . iubar . eſt .

HYR-

HYRMENACHIVS

ITa ab Auctore dictus duobus item Dactylis conſtat, vel etiam ambobus Spondæis, vt: Tibia. perſonat.

ITYPHALLICVS

EX genere Trochæorum, qui conſtat tribus Trochæis loco tamen pari non reiecto Spondæo, vt

Deſti. tit la. tinos.

Ad hoc genus refertur illud in Sacris

Aue Maris ſtella
Dei Mater Alma, &c.

TROCHAICVS

QVadratus, ſeù Arehilochius habet ſeptem pedes Trochæos cũ cæſura, quamuis locis paribus Spondeos quoque admittat, vt:

Suffi. cit vi. tare. labes.
& ca. rere. ſordibus.

Alij diuidunt verſum, & partem alteram alteri ſubſcribunt, vt in ſacris

Pange. lingua. glori. oſi
Corpo. ris myſteri. um.

STODACIVS

AB Auctore conſtat ſex pedibus, primo, & ſecundo Anapæſtis, tertio Anapæſto, vel Dactylo, reliquis bus Trochæis, vt

Elemen. ta rudes. quæ pue.
ros do. cent Ma. giſtri.

ALCMANICVS

ANapæſticus conſtat quinque pedibus Anapæſtis, & Cæſura, variè

riè tamen receptis Spondæis, & Da-
ctylis, vt:

Tuba ter. ribilem. ſonitum
procul æ. re recur. uo.

CORIAMBICVS

PHaleucius conſtat duobus Coriam-
bis, tum Dactylo, poſtremo duo-
bus Trochæis, vt:

Nulla meo. inuideat. turba pro.
fana. luco.

HEXAMETER

MIolus ab Inuentore dictus ſimilis
heroico eſt, ſed quia ſexto loco
Iambum, aut Pyrrhichium recipit, de-
lumbis eſt, & claudicat, vt:

Ite Do. mum ſatu. ræ venit.
Heſperus. ite ſaturæ.

AEOLICVS

DIctus Pētameter Dactylicus, quod
quinque pedibus conſtet, primo
Spondæo, reliquis Dactylis, vt:

Spondeumque decim quater
addere Dactylon.

PROCELEVSMATICVS

A Pede, quo componitur ſic dictus
qui pes conſtat quatuor breuibu
ſyllabis, ita verſus quatuor pedibus
tribus proceleuſmaticis, quarto Pyrrh
chio, ſiuè tribaco, vt

Nemus Aue, reticuit, Ager
Homine, ſonet.

Et hæc ſufficiant de varijs Verſuu
generibus.

DE

DE CONCINNA, ET HARMONICA VERSVVM STRVCTVRA.

POETICA, vt inquit Georgius Sabinus, eſt quaſi Muſicę cuiuſdam ſpecies; quare ſicut illa cantu, ita hæc carmine animos, & aures permulcet, ac permonet: qui ergo ad hunc modum verſus diligenter concinnat, is verè Poeta eſt, multumque à Verſificatore diſcrepat, qua in re, & tempus, & cura ponenda eſt, vt inquit Horatius:

Omne, inquit, carmen reprehendite, quodnon.
Multa dies, & multa litura coercuit, atque.
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.

Legimus de Virgilio Marone ſolitum fuiſſe dicere, ſe vrſino more carmina gignere, lambendoque effingere, vt eam nimirum formam reciperent,

quæ perfecta concinnitate metri, & harmonica ſonorum iucunditate mirabiliter aures, animoſque delectarent, excitarentque; quæ duæ proprietates verſibus ineſſe debent, vt delectent, vt excitent. Ad Concinnitatem verò metri multum conferunt

Elegantia Verborum,
Suauitas Compoſitionis,
Appoſitio Epithetorum.

Ad Harmoniam magis

Colligatio Pedum,
Varietas Numerorum,
Diuerſitas Membrorum.

De quibus ſigillatim agendum.

ELEGANTIA VERBORVM.

PVNCT. I.

Aures delectat Elegantia ſermonis ſita in verbis, ac formulis loquendi, quæ ab optimis Auctoribus vſurpantur: Delectus tamen habendus eſt; neque enim omnia verba, quæ vſu recepta ſunt, eandem gratiam, ac venuſtatem Poeticam habent: Nam Poetæ formas loquendi ab Oratoribus diuerſas habent: v. g. eleganter Orator dicit *afferre calamitatem, accipere beneficium, diſſipare opes*: ſed Poeta aliter diceret *fata ducere, obſequium ferre, dilaniare opes*. Verba igitur Poetarum propria illuſtre quiddam, plenum, ac ſonans

nans habere debent: nam in verſu ſingula, quantum fieri poteſt, debent eſſe ad ſonum exquiſita: igitur omnia verba ſordida, humilia, & quæ rei dignitatem non exprimunt, immo fędant, fugienda ſunt, non ſecus, ac maculæ; quæ pretioſam veſtem deturpant. Verba item peregrina vitanda ſunt, quæ ridicula videntur, cum Poema non illuſtrent, ſed obſcurent.

Cæterum verba maximè illuſtria, qualia ſunt translata, quæ tanquam ſtellæ lucent, nec tam aures delectant, quam animum mouent, potiſſimum verſibus inferenda ſunt; ita tamen, vt translatis immiſceantur etiam propria, ne ſemper eodem flore eloquentiæ ſatietas ſimilitudinis pariatur; ſed relinquatur locus, vt in pictura, etiam vmbris, quo magis Poëmatis venuſtas emineat, & illuſtretur.

SVAVITAS COMPOSITIONIS.

PVNCT. II.

SVauitas Compoſitionis partim exiſtit à ſtructura, qua dictiones inter ſe coagmentantur, partim à collocatione Epithetorum, partim etiam à concinnitate pedum, & numerorum, membrorum, & figurarum, de quibus infra.

In ſtructura, ſeù coagmentatione dictionum primo cauendum eſt, ne ita

diſponantur, vt ſonum hiantem, ſeù confragoſum efficiant; qualis eſſet, ſi concurſus vocalium, ſi aſperitas conſonãtium, aut ſimilitudo litterarum, vel ſyllabarum conuenirent. Iungenda igitur ſunt verba, vt plurimum molliter, & aptè, ſine hiatu, ſine aſperitate, vt nihil durum, nihil confragoſum, nihil aſperum, & inſuauè in verſu ſonet: niſi fortaſse aliter prudẽtia requiret. Quandoque enim concurſus earundem vocalium præfefert quandam granitatem cum lenitate coniunctam, vt apud Virg.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena.

Aut etiam complet ſonum, vt

Contemptor Diuum Mezentius, agminaque armat.

Sic enim ſonus plenior eſt, quam ſi dixiſſet

. . . . agmen & armat.

Item ad res aſperandas conſonantes aſperiores adhibendæ ſunt, vt Virg.

Hunc rapidis retro, atque aſtu reuoluta reſorbet ſaxa . . . .

Item ſimilitudo interdum litterarum, & ſyllabarum alluſio aures afficiunt voluptate, vt in verſu Virgiliano.

Auia tunc reſonant auibus.

Neque (vt Grammatiſtis quibuſdam videri ſolet) ridiculus eſt Ciceronis ille verſus:

O fortunatam natam me Conſule Romam.

Quo-

Quoniam non iniucundam habet auribus eruditis ſyllabarum alluſionem, vt alter Virgilianus:

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

APPOSITIO EPITHETORVM.

PVNCT. III.

VErſus abſque appoſitis, ſiuè Epithetis nudus eſt, ieiunus, atque incóptus: propterea neceſſe eſt crebra Epitheta intexi, non tamen otioſa: immo ex intima, vt aiunt, ratione, ac rei natura deprompta.

Vitanda ſunt duriora, prolixiora, vt

Tonantiſonus,

Stellimicans.

Et alia ſimilia, quæ compoſitionem inſuauem reddunt.

Epitheta venuſtatem habent, ſi ante ipſa ſubiecta, ſiuè, vt dicunt, ſubſtantiua collocentur, aut inuicem prope, aut interiectis alijs partibus, aut Epitheta in principio, ſubiecta in fine ex. g.

Puluerulenta coquit maturis ſolibus æſtas. Et

Præcipiti Oceano rubro lauit æquore currum.

Idque fieri etiam in binis verſibus venuſtiſſimè ſolet, vt

Fertilis aſſiduè ſi nõ renouetur aratro,

Nil niſi cũ ſpinis germen habebit ager.

COLLIGATIO PEDVM.

PVNCT. IV.

IN carmine nihil eſt elegantius, nihil concinnius, quam cum pedes inter ſe quaſi catena quadam colligātur. e.g.

Arte cita, veloque rates, remoque reguntur.

Et in Pentametro

Noſtra verecundo verba pudore carent.

Non tamen oportet verſus omnes eſſe vniformes, quamuis hæc colligatio ſit elegantiſſima, nam faſtidium ſatietas affert, & ſatietatem ſimilitudo; idcirco forma quandoque immutanda eſt, & vincula, quibus pedes conſtringuntur interdum laxanda ante ſecundum, quintum, ſextumque pedem, e.g.

Aurea ſurge dies, melioribus excita flammis.

Semper cauenda eſt nimia ſolutio, qualis hæc eſt, quæ verſum deturpat:

Roma mœnia terruit impiger Annibal armis.

Licet enim verſus conſtet verbis ſonantibus: tamen ob nimiam ſolutionem deficiente halitu, amittit quidquid habet ſonorum: maximè verò in priori parte verſus: nam in poſteriori minus id ſentitur, & ob varietatem auribus minus eſt ingratum.

Hor-

Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æraque fulgent.

VARIETAS NVMERORVM.

PVNCT. V.

SI pedes, ac voces rebus, & affectibus accōmodentur, miram gratiam verſus habent. Igitur natura pedum, & vocum conſideranda eſt diligenter.

Spondæi ſunt natura graues, & tardi; ita eorum continuatio apta eſt querelis, & lamentationibus; nam nimia grauitate numeri ſubtriſtes redduntur, maximè verò ſi monoſyllabis tarditas augeatur, quæ ſingultus quaſi quoſdam referat, vt apud Virg.

Me me adſum, qui feci, in me conuertite ferrum.

Item ſpondæi rebus arduis, & grauibus idonei ſunt eodem modo cum monoſyllaba, vt apud eundem.

Illi inter ſe ſe multa vi brachia tollunt.

Quo verſu laboris magnitudo Cyclopum in officina Vulcani oſtenditur. Dactyli contra hilaritatem, & properationem ferunt, & ſi plurium ſyllabarum fuerint, volubiliores erunt ad aliquid explicandum, aut iucundè, vt Virg.

Pone metum Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi.

Aut feſtinanter, vt Virgil.

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas.
Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum,

Quorum verſuum tanta eſt volubilitas vt fugæ celeritatem anteuertere videantur.

Itaque præſtandum eſt hac numerorum varietate, vt rerum, & affectuum natura concinnè exprimatur.

DIVERSITAS MEMBRORVM.

PVNCT. VI.

SÆpe fit, vt membrorum varietate verſus induant gratiam, & venuſtatem; cum neque vniformes videantur, & res, atq; affectus melius exprimant: nam interdum integer verſus periodo incluſus perfectam, & abſolutam ſententiam vno membro comprehēdit, vt

Sicelides muſa paulo maiora canamus.

Aut ſexqui alter

Nec circumfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis.

Aut bini verſus integri.

Titire tu patula recubans ſub tegmine fagi
Silueſtrem tenui muſam meditaris auena.

Cauendum tamen ne longior vnius

mem-

membri continuatio obtundat aures, cui Parentheſis remedio eſſe ſolet, vt terni verſus.

Languor & immodici nullo ſub Iudice ſomni
Aleaque & multo tempore quaſſa mero
Eripiunt omnes animo ſine vulnere vires.

Qui tamen terni verſus etſi periodo includuntur, non eſt vnius membri continuatio, offenderet enim aures, niſi interpungerent circuitionem particulæ, quibus interpoſitis, periodus extendi latiſſimè poteſt.

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſydere terram
Vertere Mecænas, vlmiſque adiungere vites
Conueniat; quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis.
Hinc canere incipiam.

Interdum nulla periodo verſus circumſcribitur, ſed membris minutioribus carpitur, vt Ouid.

Poma dat Autumnus, formoſa eſt meſſibus Æſtas,
Ver præbet flores, igne leuatur hyems.

Verſus ſedati, molles, & blandi, placidè, ac leniter quaſi fluunt, longiori orationis ductu ſuſtinendi ſunt, vt in Exordijs, Amplificationibus, & Con-

cluſionibus, vbi aures aliquid fuſiùs deſiderant.

Arma virumque cano . . . . . .

Acres, & ardentes magna ex parte debent eſſe conciſi, & in membra diſtracti, quales ſunt apud Virgil. inter Turnum, & Drancem.

Pone animos, & pulſus abi, ſat funera fuſi

Vidimus, ingentes & deſolauimus agros.

Oportet igitur ſcribentem verſus membra rebus accommodare, quæ ſint inſtar veſtium, quæ male ſe habent, cum plus æquo longæ, aut breues, latæ, aut anguſtæ. Tunc autem hominem ornant, cum ſibi vndequaq; conueniunt. Siquidem cuiuſq; rei pulchritudo nihil aliud eſt, quam partium inter ſe conuenientia, & (vt ita dicam) concordantia, vbi enim eſt apta membrorum compoſitio, ibi eſt pulchritudo, quæ vt delectet nulla maior, quam Poematibus ineſſe debet, nam, vt inquit Perſius, *Pegaſeum melos canere* quid eſt aliud, quam ſuaui, & concinna oratione vti?

Hanc vero ſuauitatem, & concinnitatem figurarum etiam exornationes præſtant, ſi ſcite vſurpentur, & maximè iterationes, vt Tibullus:

Quam cito purpureos amittit terra colores.

Quam cito formoſas Populus alta comas.

Qua-